DISSERTATIO

DE

FONTIBUS TOPICORUM CICERONIS

QUAM

AD SUMMOS PHILOSOPHORUM HONORES
IN FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
PER AMPLISSIMUM ORDINEM
RITE OBTINENDOS

SCRIPSIT

IOANNES IOSEPHUS KLEIN

URBACENSIS

CUMQUE

ADIECTIS CONTROVERSIIS

II DIE MARTII IN AULA DEFENDET ADVERSUS

IOANNEM FREI
CHRISTOPHORUM HAMMERSTEIN
IOSEPHUM REISACKER

SEMINARII PHILOLOGICI SOCIOS ORDINARIOS.

BONNAE
FORMIS CAROLI ET FRIDERICI KRUEGER
MDCCCXXXXIIII.

[illegible]

[illegible]

Prolegomena.

Eruditae antiquitatis monumenta si ulla adhuc frigidius ieiuniusque tractata iacent, iacent Ciceronis topica. Nam et vixdum, quod sciam, fuerunt, qui ad hoc voluerint attendere, num sic ea se habeant, ut commodi quid inde historia eius, quam continent, disciplinae capere possit: neque vel illud satis ad hunc usque diem quaesitum est, qui tandem veri topicorum Tullianorum sint fontes; qua quaestione soluta, ad cognoscendam ipsam artis topicae historiam aliqua ex parte via erit parata. Adhibitus est autem libellus ille iuris peritorum potissimum in usum, qui recte in eo gravissima antiqui iuris Romani exstare fragmenta viderunt. Attamen in conscribendis his topicis non egit illud Cicero, ut ius civile explicaret, sed ut inveniendorum argumentorum disciplinam Trebatio, viro iuris peritissimo, traderet. Cuius tradendae opportuni-

tatem Ciceroni topica quaedam Aristotelica praebuerant, inter ipsius libros a Trebatio in Tusculano inventa. *Quum enim mecum*, ait Cicero[1]), *in Tusculano esses et in bibliotheca separatim uterque nostrum ad suum studium libellos, quos vellet, evolveret, incidisti in Aristotelis topica quaedam, quae sunt ab illo pluribus libris explicata. Qua inscriptione commotus continuo a me librorum eorum sententiam requisisti: quumque tibi exposuissem, disciplinam inveniendorum argumentorum — illis libris contineri, verecunde tu quidem, ut omnia, sed tamen facile ut cernerem, te ardere studio, mecum, ut tibi illa traderem, egisti.* Atque in epistola,[2]) quam una cum topicorum libro ad Trebatium Rhegio misit Cicero: *Itaque*, scribit, *ut primum Velia navigare coepi, instituti topica Aristotelica conscribere; — eum librum tibi misi Rhegio.* Quorum verborum vis haec est, ut sua sponte ad eam nos ducant quaestionem, quae est de ratione inter Tullii et Aristotelis topica intercedente, id est, ut quaeramus:

I. utrum, quemadmodum ipse in illis litteris significare videtur, Cicero re vera sua ad Aristotelica quae exstant topica conformaverit, an secutus sit aliud quoddam Aristotelis opus nunc deperditum:

II. si forte neutrum illorum probari potuerit, num tandem, quae de Aristotelicis quibusdam to-

1) Cf. Top. praef.

2) Epist. ad fam. VII, 19.

picis Cicero profert, aliam vel ferant vel poscant eiusmodi explicationem, qua cogitandi de Ciceroniana quadam Aristotelis topicorum imitatione necessitas omnis tollatur.

Quibus rebus exploratis, Tullianorum topicorum fontes qui sint, videbimus. — Sed priusquam accedamus ad id, quod nobis propositum est, priorum interpretum de his rebus sententias non alienum fuerit paucis percensere.

Ac vehementissimus quidem ille Aristotelis obtrectator Patricius,[1]) quum alias secutus rationes, tum Ciceronem ex Aristotelicis quae exstant hausisse sua arbitratus, illa ipsa Aristotelis topica suppositicia esse probare studuit. Haec tamen argumentatio eiusmodi est, ut hodie vix quisquam sit, cui persuadeat.[2]) Aliter de topicis Ciceronianis iudicavit Quaerengus quidam,[3]) qui singulari scriptione hanc confirmare sententiam instituit, Aristotelicos qui exstarent topicorum libros non esse eos, e quibus suam de locis doctrinam desumpserit Cicero, sed huius doctrinae fontem et originem in aliis videri positam Aristotelis topicis, intellectu facilioribus. Huius autem sententiae adversarius processit Buhlius, qui Ciceronem memoriter repetisse Aristotelica topica eorumque potissima capita latine tradidisse contendit.[4])

---

1) Patricii discuss. Peripat. I, 3. p. 22. et 4. p. 46 sqq.
2) De qua re vide Fabr. bibl. gr. vol. II, p. 115. — Brandis. in Mus. Rhen. I, 4. p. 274 et III, 4. p. 548 sqq. — Hist.-philol. Abhdl. der kön. Ac. d. Wiss. zu Berlin 1833, p. 256.
3) Fabr. bibl. gr. vol. II, p. 114.
4) Aristot. opera omn. ed. Buhle tom. III, p. 4. — Allg. Encyclop. d. W. u. K. von Ersch u. Gruber, tom. V. s. v. *Aristoteles* p. 281.

Sed hanc opinionem qui impugnaret, alius post exstitit, Fr. Godardus Lyndenius,[1]) qui Quaerengi societatem professus, argumentis, ut ipse putat, sat firmis adhibitis, Ciceronem in scribendo libello suo diversa ab iis, quae nostris in manibus sint, Aristotelis topica habuisse ob oculos et explicasse asseveravit. Quam argumentationem ipse hoc modo concludit:[2]) *Scripta Aristotelis quum in duas partes distribuantur, alteram exoterica, esoterica alteram, atque illa ad vulgi indoctorumque adeo captum, haec ad interioris disciplinae Aristotelicae alumnos pertinerent: sic Aristotelem in utroque genere topica quaedam composuisse videri. Factum est inde, ut, Trebatio ab esotericorum lectione obscuritate reiecto, Cicero exotericos eiusdem libros topicorum quum Romanis, tum imprimis Trebatio explanare institueret.* Neque tamen Lyndenii Quaerengique haec audax sententia doctorum virorum videtur comprobationem tulisse: quippe, silentio fere praetermissa illa, interpretes recentiores omnes in eo, quod Buhlius statuerat, acquiescendum putarunt. Maiorem quidem, quam Buhlius, inter utraque topica consensum animadvertere sibi visus est Stahrius,[3]) qui hac de re: *Constat quidem*, inquit, *Ciceronem Aristotelis scripta logica neque ut integrum disciplinarum complexum, neque Organi nomine memorare. Eundem autem*

1) Fr. God. van Lynden Spec. iurid. exhib. interpr. iur. prud. Tull in top. expositae. Lugd. Batav. 1805.
2) Libro c. p. 16.
3) Aristot. b. d. Römern p. 47.

illa probe nosse, topicorum confirmatur tractatione. Etenim Ciceronem accuratissima lectione topica Aristotelica pertractasse eo intelligitur, quod inter ipsam navigationem sola fretus memoria ad Aristotelica sua conscripsit topica. Neque aliter sensisse videntur Westermannus,[1]) Baehrius,[2]) Schoellius,[3]) Ellendtius,[4]) Goellerus,[5]) qui Ciceronis libello topicorum Aristotelicorum aut commentarium contineri aut summarium dicant.

Iam haec omnia ut in summam quandam redacta proponamus:

statuerunt primum interpretes illi omnes et cum his alii multi, Ciceronem in topicis conscribendis Aristotelis quaedam topica unica ac sola ob oculos habuisse eademque ita explicasse, ut vel liberius ipsorum vestigia, vel pressius sequeretur:

tum fuerunt ex illis quidam, qui non hoc quod in manibus est Aristotelis opus, sed alia eiusdem topica nunc quidem deperdita secutum Ciceronem esse et putarunt ipsi et ceteris persuadere studuerunt.

---

1) Westermann's Gesch. d. Berdtskt in Gr. u. R. tom. II, p. 196.
2) Baehr, Gesch. d. Röm. Lit. p. 375.
3) F. Schoell, hist. abregée de la litt. Rom. p. 121, ubi de Ciceronis topicis haec habemus: Dans cet ouvrage Cicéron a donné un extrait et un commentaire de celui d'Aristote, qui porte le même titre.
4) Ellendtii edit. Cic. de Orat. Vol. II, p. 240.
5) Goelleri edit. Cic. ad M. Brut. Orat. Proleg. p. XXI: Is autem C. Trebatius Testa, vir iuris peritissimus, significaverat, se optare Aristotelis topica ab aliquo rei perito explanari. Rhetor quidam, cui id operae mandare vellet, ignorantiam libri Aristotelis excusaverat. Cicero Trebatio sese devinctum sentiens, memor benevolentiae, quum in Graeciam iter faceret, memoriter et inter navigationem scripsit topica, quibus librum Stagiritae illustraret.

Eo igitur usque res fuit adducta; neque exstitit quisquam, qui accuratius in superiorum interpretum rationem inquireret praeter unum Brandisium, praeceptorem multis mihi nominibus laudandum, qui ante tria fere haec lustra commentatione breviore[1]) iuvenes antiquarum litterarum studiosos non modo, ut, quae ratio inter Ciceroniana et Aristotelica topica intercederet, quoque sua Cicero ex fonte hausisset, de integro quaererent, est cohortatus, sed etiam quaestionis illius in universum viam ac rationem monstravit. Itaque ego, ad impetrandos summos in philosophia honores dissertationem recepto more scribere iussus, Brandisii auctoritate atque auspiciis munus illud in me libentissime suscepi.

Ac iam lectoribus in memoriam revocandas esse res ipsas, de quibus agitur, ratus, utrorumque topicorum argumentum quam maxime fieri potuit enucleate descripsi, descriptum ipsi topicorum comparationi praemisi.

---

1) Mus. Rhen. III, 4. p. 547 sqq.

ARGUMENTUM
CICERONIANORUM TOPICORUM.

Cupienti Trebatio artem, quam τοπικὴν dicunt, cognoscere suumque in usum convertere, Cicero hoc libro

I. artis topicae rationem exponit i. e. argumentorum locos (τόπους) pertractat illustratque exemplis (c. 2, 6—21.);

II. de arte topica ad quaestiones adhibita disputat i. e. quaestionum genera digerit et, qui potissimum ad quasque quaestiones loci sint apti, ostendit (c. 21. sqq.).

Praefationem igitur sequitur ipsa artis topicae constitutio, hunc fere in modum descripta:

Omnis logica disciplina (quam Cicero *rationem diligentem disserendi* appellat) duabus continetur partibus, quarum una est inveniendi, altera iudicandi. Argumenta autem inveniendi ars ipsa est ea, quae graeco vocabulo *ΤΟΠΙΚΗ* appellatur (haec enim omnium argumentorum quasi sedes ac domicilia — τόπους — profitetur se aperire ac commonstrare): altera vero pars, quae est iudicandi, ut a Peripateticis ἀναλυτική, sic a Stoicis διαλεκτική nominatur.

I. Exponitur artis topicae ratio (c. 2, 6—21.).

Ut igitur ad inveniendam rem quamque plurimum confert loci, quo sita illa est, demonstratio ac notatio: ita in pervestigando quolibet argumento maximi est momenti locorum cognitio, e quibus tamquam fontibus argumenta hauriuntur. Quorum locorum in universum duo sunt genera:

A. alteri rei ipsi, de qua ambigitur, inhaerent:

B. alteri, ut alieni a re, assumuntur foris.

Ex illo autem genere qui loci sunt, rursus bipertiti:

a) aut enim e tota sumuntur re, et quidem

α) vel definitione,

β) vel partitione,

γ) vel notatione adhibita:

b) aut ex iis rebus, quae cum ipsa re, de qua agitur, vinculo cognationis quodam continentur.

Ex altero qui loci sunt genere, generali nomine testimonia appellantur.

Horum locorum continetur brevior expositio c. 2, 9—4, 25.

A. De locis rei ipsi inhaerentibus (2, 9—4, 24.).

Iam primus e re tota locus est is, qui in definitione cernitur. Quo in loco hoc summum praeceptum est: Quae cadunt in definitionem rei, eadem in rem. Formulam eius argumenti hanc habes: [1])

Grammatica est ars bene disserendi; haec autem summo est studio digna: est ergo et illa.

---

1) Singulos ego locos exemplis illustravi, quia, quas Cicero descripsit, formulae partim in ipsam rem, de qua agitur, non semper videntur plane quadrare, partim corruptelis nimium laborant, partim denique ne a iuris quidem peritis, nedum ab imperitis, possunt intelligi.

Qui sequitur locus, ex partibus est. Cuius lex summa haec est: Quae coniungi cum nulla rei parte possunt, ne cum re quidem possunt. Eius autem argumentationis talis formula fuerit:

Si neque inveniendi, nec iudicandi ars est inutilis, ne disserendi quidem est.

Tertium habemus locum e rei nomine desumptum, cuius ea est lex, ut idem cadere in eiusdem significationis nomina dicatur. Exemplo tibi hoc erit:

Natae non sui iuris fiunt ante vicesimum annum; ergo nec filiae.

Iam qui e rebus, quae ad id, de quo agitur, quodam modo sunt affectae, petuntur loci, in plures partes distribuuntur. Alii enim e coniugatis sumi possunt, i. e. ex eiusdem generis verbis, quale hoc est:

Patricida capitis damnandus est; Caius autem patrem occidit: ergo damnandus est capitis.

Alii ducuntur loci ex genere, ubi valet axioma hoc: Quae universo generi conveniunt, eadem singulis illius generis formis. Ut exemplum proferam:

Si vetat lex laedi animalia, hominem quoque laedi vetat.

Alii e forma [1]) generis proficiscuntur loci. Sed quoniam quae in formam aliquam conveniunt, non item necessario in genus: a formis nullus esse potest locus, nisi ita, ut omnes simul alicuius generis formas complectaris. Quod si fit, in genus ipsum necesse est cadere, quae cadunt in universas eiusdem generis formas. Velut:

Si et homines et bestiae mortales sunt, omne animal est mortale.

vel cum negatione sic:

Si nec pedestri oratione, nec poetica quidquam scripsit, nihil scripsit.

Alii loci hauriuntur ex similitudine, cuius haec est

---

1) Cf. Hotomanni obss. lib. 1, c. 24, qui Ciceronem in exemplo deligendo errasse sic evicit, ut dubium esse nemini possit. Quippe in Ciceronis formula argumentatio non a forma, sed ex contrariis proficiscitur.

propositio maxima: Similibus rebus eadem conveniunt; ut si sic dicimus:

Qui bestias temere laedunt, peccant non minus, quam qui in homines saeviunt.

Rursus alii a differentia loci proficiscuntur ex hoc summo praecepto: Quoniam idem de differentibus rebus praedicari non potest; quod in unam quadrat, in alteram non item. Quale hoc est:

Non, si licet maledicere, idcirco malefacere.

Alii promuntur e contrariis loci, qui hac summa lege nituntur: Non idem in contraria convenit. Exemplum hoc habes:

Si cui ad bellum gerendum summa rerum est tradita, retinere eam in pace non debet, quandoquidem bellum et pax res inter se contrariae sunt.

Alius est ex adiunctis locus, cuius natura posita est in eo, ut adiuncta iudicentur ex adiunctis. En exemplum:

Civitatis notionem è mundo qui tollere vult, iniuste facit; adiungitur enim, ut etiam familiae notio sit tollenda, quod ipsum contra naturam est.

Alii petuntur loci ex antecedentibus, consequentibus, quatenus ea, quae rem consequuntur, cum re ipsa in mutua posita sunt relatione, item contra, et ex repugnantibus, quatenus, quae inter se repugnant, in idem quadrare non possunt. Ut formulas describam, ex antecedentibus argumentum depromitur sic:

Si quis a quo coactus peccat in leges publicas, quaeritur, num quae huic peccato proposita poena est, re vera ei, qui peccavit, sit irroganda; at non erit; antecedit enim eum coactum i. e. invitum peccasse, quod omni culpa caret.

Ex consequentibus hoc modo:

Si quis ob contractam infamiam bonorum suorum parte mulctatur, quoniam, quae patri, eadem liberis inhaeret infamia, ne his quidem pars illa bonorum debet restitui.

Ex repugnantibus, quale hoc est:

Si quis a quo constituitur heres ex asse, is quoniam, quae illius fuerunt, accipit universa, necesse est cum bonis ipsis aes quoque alienum ab illo contractum accipiat; repugnat enim accipere universa, et aliquid non accipere.

Alia autem sumuntur argumenta ex rerum causis et effectis; qui loci hanc sequuntur normam, qua causae ab effectis non separantur. Ex illis sic:

Si quis qua in domo pulverem pyreum condiderit eo loco, quo per ignis propinquitatem non licet, non is, qui ignem accendit, in culpa erit, si forte damni quid ceperit domus, sed qui pulverem condidit; haec enim damni vera est causa.

Ex effectis, velut in hoc:

Si quis a quo verberibus affectus diem dixerit ei, qui affecit, pro argumento erunt, si quae corpori inhaerent cicatrices: eas enim verberibus effectas esse necesse est.

Alia denique ex comparatione proficiscitur argumentatio. Quo in loco omnia valent, quae sunt huiusmodi: Quod in re maiore valet, valeat in minore: item contra; aut: Quod in re pari valet, valeat in hac, quae par est. Qualia sunt haec:

Si licet regna furari, licet etiam agellos; et vice versa. — Si franci, nummi Gallici, laudatur pretium, laudantur eodem iure octo grossi Borussici.

B. De locis extrinsecus petendis (c. 4, 24.).

Iam quae assumuntur foris argumenta, ea maxime ex auctoritate et ex iis, quae auctoritatem afferunt, ducuntur i. e. ex testimoniis. Itaque Graeci eiusmodi argumentationes ἀτέχνους vocant i. e. artis expertes, ut haec: *Hoc est verum, dixit enim Lutatius; hoc est falsum, habita enim est quaestio; hoc sequi necesse est, recito enim tabulas*, secundum Ciceronem.

Eorundem locorum continetur accuratior tractatio c. 5—21.

A. De locis haerentibus in ipso, de quo quaeritur (c.5—19.).

Agitur de definitione c. 5—8.

Definitio est oratio, quae id quod definitur explicat quid sit. Duo autem sunt definitionum genera primaria: unum earum rerum, quae sunt, alterum earum, quae intelliguntur. Rursus definitiones aliae sunt partitionum, aliae divisionum, quae sic inter se differunt, ut in illis quasi membra sint, in quae res tota discerpitur, in his autem formae (εἴδη), in quas genus dividitur. Distat autem forma a parte, quamquam formam interdum licet nominare partem. Adiungi illis definitionum generibus poterit ea definitio, quae per translationem verbi ex similitudine fit. Modus autem definitionis est is, ut

quum sumpseris ea, quae sint rei, quam definire velis, cum aliis communia, usque eo persequaris, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit.

Loci a partium enumeratione et a notatione tractantur c. 8.

Rerum autem, quae partibus coniunguntur, aliae quidem paucas et intellectu faciles habent partes, aliae vero plures intellectuque difficiles. In prioribus igitur maximum est vitium, si partiendo aliquid relinquatur; at in re infinita non est vitiosum praetermittere aliquid. Quod idem in divisione est vitiosum; formarum enim certus est numerus, quae cuique generi subiiciantur. — Ex notatione autem (ἐτυμολογία — σύμβολον — nota) sumitur argumentum, quoties aliquid ex vocabuli interpretatione colligitur.

Exponuntur loci, qui constant ex iis rebus, quae quodam modo affectae sunt ad id, de quo quaeritur (c. 9—19.).

Hi autem sunt:

1. locus ex coniugatione, quam Graeci συζυγίαν (Aristoteles συστοιχίαν) vocant; finitimus hic est locus notationi.
2. locus a genere, in quo non necesse, genus usque a capite arcessere, sed eorum aliquid, quae in medio posita sunt, potest adhiberi, illa tamen servata ratione, ut supra sit, quod sumitur, quam id, ad quod sumitur.
3. locus a forma generis, quem Cicero h. l. silentio praeterit.
4. locus ex similitudine (c. 10.), qui oratoribus maxime philosophisque conducit. Similitudo autem omnis duplex est: aut enim ex pluribus rebus similitudo colligitur, quae inductio (ἐπαγωγή) vocatur: aut singulae res per similitudinem comparantur i. e. una res uni, par pari comparatur. In hunc locum exempla quoque cadunt et vera et ficta.
5. locus a differentia (c. 11.), quae maxime est contraria similitudini; est tamen eiusdem et dissimile et simile in-

venire; qui enim scit, quid sit idem, nosse poterit, quid diversum sit.

6. locus a contrario. Contrariorum autem genera sunt quattuor:

unum eorum, quae in eodem genere plurimum differunt (adversa);

alterum eorum, quae nominantur privantia (στερητικά);

tertium eorum, quae cum aliquo conferuntur, ut: multa, pauca;

quartum eorum, quae negantia (ἀποφατικά) appellantur.

locus ab adiunctis (c. 11, 50—12, 53.), qui magis ad coniecturales causas, quae versantur in iudiciis, valet: quum quaeritur, quid aut sit, aut evenerit, aut futurum sit, aut quid omnino fieri possit.

locus, dialecticorum (Stoicorum) proprius, ex antecedentibus, consequentibus, repugnantibus (c. 12, 53—15.). Cuius tractatio condicionalibus semper propositionibus accommodatur. Omnis autem hypothetica propositio vel per connexionem fit vel per divisionem. Itaque septem habemus conclusionis modos sive syllogismos, ut ita dicam, hypotheticos disiunctivos hosce:

I. Si hoc est, illud est: hoc autem est, illud igitur.

II. Si hoc est, illud est: atqui illud non est, non igitur hoc.

III. Non et hoc est et non est illud: hoc autem est, illud igitur.

IV. Aut hoc, aut illud: hoc autem, non igitur illud.

V. Aut hoc, aut illud: non autem hoc, illud igitur.

VI. Non et hoc et illud: hoc autem, non igitur illud.

VII. Non et hoc et illud: non autem hoc, illud igitur.

9. locus ex causis (c. 15—18.). Causarum genera ac membra ex hoc apparent schemate:

Causae
- quae vi sua efficiunt:
  - aliae, quae per se efficiunt,
  - aliae, quae adiuvari volunt.
- sine quibus effici non potest:
  - quietae, ut:
    - locus,
    - tempus,
    - materia,
    - instrumenta.
  - agentes, ut:
    - praecursiones,
    - auxilia.

Addit deinde Cicero alias easque admodum minutas causarum distributiones, quae tamen non tam ad philosophum, quam ad oratorem pertinere videntur.

10. locus ex effectis, maxime coniunctus loco causarum, quippe quarum cognitio cognitionem eventorum efficiat.
11. locus ex comparatione (c. 18, 68—19.). Comparantur ea, quae aut maiora aut paria dicuntur; in quibus spectantur haec: numerus, species, vis, quaedam etiam ad res aliquas affectio. Parium autem comparatio nec elationem habet, nec submissionem; est enim aequalis.

B. De locis extrinsecus petendis (c. 19 et 20.).

Argumentatio, quae dicitur artis expers, in testimonio, ad faciendam fidem sumpto, posita est. Ad fidem autem faciendam requiritur auctoritas, quam aut natura, aut tempus affert. Naturae auctoritas in virtute inest maxime; in tempore multa sunt, quae afferunt auctoritatem, ut ingenium, opes, aetas, fortuna, ars, usus, alia. Quae autem virtute fidem faciunt, bipertita sunt: ex quibus alterum natura valet, alterum industria; deorum enim virtus natura excellit, hominum industria.

His omnibus in unum collatis, totius τοπικῆς σχῆμα habemus hoc:

Τοπική.

Loci

I artificiales, qui sumuntur

A ex ipsa re tota:

vel definitione, vel partitione, vel notatione adhibita.

B ex rebus affectis:

1. ex coniugatis,
2. ex genere,
3. ex forma,
4. ex similitudine,
5. ex differentia,
6. ex contrario,
7. ex adiunctis,
8. ex antecedentibus, conseqq., repugn.,
9. ex causis,
10. ex effectis,
11. ex comparatione maiorum, minorum, parium.

II artis expertes.

II. Agitur de arte topica ad quaestiones adhibita (c. 21 sqq.).

Qui expositi sunt loci, non omnes in omnem cadunt quaestionem, sed quaestionibus aliis alii sunt aptiores. Quaestionum autem duo sunt genera:

I. infinitum s. propositum (θέσις), quod est

A) cognitionis (c. 21.), in quo

α) coniecturâ an sit, quaeritur, et quidem

1. sitne aliquid,
2. unde ortum sit,
3. quae id causa effecerit,
4. an commutari possit.[1])

1) Quam rationem secutus sit Cicero in suis partitionibus et divisionibus, et hoc loco et alias nonnunquam latet.

β) quid sit (c. 22.) definitione, ubi explicatur
1. notio,
2. proprietas,
3. divisio,
4. partitio,
5. descriptio.

γ) quale sit, iuris et iniuriae distinctione. Hic
1. aut simpliciter quaeritur
a) de expetendo fugiendoque,
b) de aequo et iniquo,
c) de honesto et turpi:
2. aut comparate
a) de eodem et alio,
b) de maiore et minore.

B) actionis quaestiones, quarum duo sunt genera:
α) ad officium,
β) ad motum animi vel gignendum vel sedandum.

His igitur quaestionibus qui loci sint accommodati, praecipitur c. 23. Atque coniecturae quidem sunt apti, qui ex causis, qui ex effectis, qui ex coniunctis (i. e. adiunctis) sumuntur. In definitionem autem et in eam quaestionem, quae est de eodem et alio, conveniunt loci ex antecedentibus, consequentibus, repugnantibus, adiuti etiam iis, qui sumuntur ex causis et effectis. Ad tertium deinde genus, in quo quale sit quaeritur, apti sunt loci ex comparatione deprompti.

II. finitum s. causa (ὑπόθεσις), cuius genera sunt [1] (c. 24 et 25.):
a) iudiciales causae (δικανικὸν γένος),
b) deliberationes (συμβουλευτικὸν γένος),
c) laudationes (ἐπιδεικτικὸν γένος).

Quibus accedunt legitimae disceptationes, quae ex scripto nascuntur, ubi controversiam facit

1) Cf. Arist. Rhet. I, 3.

a) vel ambiguum,

b) vel discrepantia scripti et voluntatis,

c) vel scripta contraria (c. 26.).

Quarum quaestionum fines ipsi declarant, quibus utendum sit locis.

ARGUMENTUM
ARISTOTELICORUM TOPICORUM.

Universa Aristotelis logica disciplina, quae in exponendis cogitandi cognoscendique formis et rationibus versatur, duas habet partes,

alteram, quae Ἀναλυτικοῖς,

alteram, quae Διαλεκτικοῖς continetur.

Quibus e partibus dialectica rursus sunt bipertita:

I. Διαλεκτική, principali ac proprio sensu, quae τοπική appellatur. Eam Aristoteles disposuit in universum pertractavitque hoc modo:

a) Universam dialecticam s. topicam disciplinam ita adumbrat top. lib. I., ut

1. ipsius vis, finis, utilitas (c. 1—4.),

2. eius materia (c. 4—12.),

3. inventionis instrumenta (c. 13. usque ad finem libri) explicentur.

b) Ipsam τόπων disciplinam quam planissime et copiosissime tradit libb. II—VIII.

II. Πειραστική,[1]) quae universam continet praxim dialecticam et veram et sophisticam, top. lib. VIII. et soph. elench.

---

1) Cf. soph. el. c. 2; c. 8; c. 11; c. 34.

I. ΔΙΑΛΕΚΤΙΚΗ s. ΤΟΠΙΚΗ.

a) Topicorum Aristotelicorum pars prior (lib. I.).

1. Dialecticae explicatur vis, consilium, utilitas lib. I. c. 1—4.

Omnis dialectica est disciplina (c. 1.), qua facultates hasce assequimur, et ut disserere de re quaque proposita profectique a probabilibus sententiis (ἐξ ἐνδόξων) argumentari possimus, neve, si qua defendenda nobis res est, afferamus, quod repugnare (ὑπεναντίον) videatur. Quum vero bene disserendi vis, in ratiocinando cernatur, omnium primum, ut, quid sit et quomodo fiat dialectica ratiocinatio, intelligamus, sciendum hoc est, quid omnino ratiocinatio s. syllogismus sit et quae eius sint formae. Est igitur syllogismus oratio, in qua, positis quibusdam, aliud ab his, quae posita sunt, diversum necessario sequitur propter ea ipsa, quae posita sunt. Formae autem sunt hae:

1. Syllogismus demonstrativus, quo concluditur ex primis ac veris principiis i. e. ex iis, quae non ab aliis, sed per se ipsa fidem habent et quae, velut scientiae principia per se certa, veri quasi fons et caput habenda sunt.
2. Syllogismus dialecticus, quo ex iis, quae in vulgus probantur i. e. ex probabilibus sententiis concluditur.
3. Syllogismus contentiosus, qui bipertitus est: alter, quo concluditur ex iis propositionibus, quae videntur probabiles nec tamen sunt — quod vitium non est formae, sed argumenti — alter, qui ad speciem ita est confictus, ut eo ex probabilibus vel ex iis, quae probabilia videntur, concludi videatur, re vera tamen non concludatur — quod vitium est formae, vel formae simul et argumenti.

Addit deinde Aristoteles paralogismum eum, qui in materia peccat, quum ex disciplinae alicuius propriis quidem, non tamen veris propositionibus concludimus. Ceterum ex illis

syllogismi formis sola dialectica ratiocinatio ad hanc pertinet artem. Ars ipsa utilis est (c. 2.) tum ad exercitationem, tum ad congressus et colloquia, tum imprimis ad philosophiae disciplinas. Est enim dialecticae, verum ratiocatinione probabili tentare et experiendo aggredi (*ἐπιχειρεῖν*);[1]) ex quo perspici licet, qualis esse debeat is, qui hac ratione et arte perfecte se instructum esse velit (c. 3.); quippe perfectus est habendus dialecticus, qui nihil praetermittat, quod ea arte praecipitur.[2])

2. **Dialecticae materia exponitur c. 4—13.**

Porro materia dialecticae est disputatio (c. 4.), in qua considerantur tum, de quibus disputatur, problemata (*περὶ ὧν οἱ συλλογισμοί*), tum propositiones, ex quibus disputatur (*ἐξ ὧν οἱ λόγοι*). In omni problemate et propositione duae sunt partes primariae: subiectum et attributum. Quod ad illud attinet, ars dialectica de unaquaque re disserere docet.[3]) Sed attributum problematis et propositionis aut est genus, aut definitio, aut proprium, aut accidens. Ac quattuor haec rursus contineri decem categoriis i. e. maxime generalibus praedicamentis, docet paulo infra (c. 9.) Aristoteles.

Definitio autem est oratio (c. 5.) significans, quid res sit. Quamobrem, qui bene ac scite definit, eum ex genere et differentiis oportet definire. Si quis igitur solo nomine, quocunque id modo fit, rationem reddit, eum quidem, quoniam omnis definitio est enuntiatum, rei definitionem non reddere patet. Ad definitionem illud quoque pertinet, ut inquiratur, utrum quid sit idem, an diversum; quare sciamus oportet, in quas et quot sententias idem accipi possit. De qua re c. 7. prae-

---

1) Dialecticus probabilitatem, verum quaerit philosophus: *πρὸς μὲν οὖν φιλοσοφίαν κατ' ἀλήθειαν περὶ αὐτῶν πραγματευτέον, διαλεκτικῶς δὲ πρὸς δόξαν*, top. I, 14.
2) Cf. Rhet. I, 1.
3) Ibid. *ὅτι μὲν ουν οὐκ ἔστιν οὔτε ἑνός τινος γένους ἀφωρισμένου ἡ ῥητορική, ἀλλὰ καθάπερ ἡ διαλεκτική—φανερόν.*

cipitur sic: Tribus modis idem solet exprimi et accipi,[1]) a) secundum *numerum*, quatenus idem aut nomine (quum nomina sunt plura, res autem una) vel definitione, aut per proprium, aut per accidens exprimitur: b) secundum *speciem*, quum idem dicuntur ea, quae plura sunt neque tamen specie differunt: c) secundum *genus* ea, quae eodem continentur genere.

Proprium deinde est, quod rei soli inest et cum re, cuius est proprium, reciprocatur; non tamen eo declaratur, quid res sit; hoc enim sola fit definitione.

Tum genus est, quod pluribus et forma differentibus rebus attribuitur, quum quaeritur, quid sit res proposita. Huc quaestio ea quoque spectat, qua utrum quid sit in eodem, an in diverso genere, indagatur.

Accidens denique est, quod uni eidemque rei potest et inesse et non inesse. Ad quod refertur mutua duorum inter se collatio, velut utrum honestum, an utile sit praeferendum. Interdum etiam accidens fit proprium, non tamen simpliciter, sed cum adiunctione vel temporis vel relationis.

Potest vero quaeri, num necessaria sit haec problematum quadripartitio. Una sola, ut ait Aristoteles c. 6., illis quattuor problematum generibus communis methodus vel inventu minime est facilis, vel, si inveniatur, plane est obscura nec ad hanc artem utilis. Quaerenda potius est ratio, ex qua tanquam ex penu locupletissima possimus argumenta depromere statimque in promptu habere. Talis autem et tam perfecta ratio non potest esse generalis, sed est specialis i. e. singulis supra enumeratis problematum generibus accommodata.[2]) Neque ipsa rerum natura illam non probat partitionem, siquidem quaelibet illis quattuor generibus comprehenduntur quaestiones (c. 8.). Potest hoc quum inductione colligi, tum syllogismo. Qui syllogismus per disiunctionem fit hoc

---

1) Cf. metaph. IV, 6.
2) Cf. Schol. in Arist. coll. Brand. p. 257. a. 1 sqq.

modo: Omne attributum ita est comparatum, ut aut reciprocetur cum subiecto, aut non reciprocetur: et utrumque eorum vel essentiale est, vel accidentale. Problema autem, cuius attributum et reciprocatur cum re subiecta et essentiale est, appellatur **definitio**: attributum, quod reciprocatur, nec est essentiale, nominatur **proprium**: quod non reciprocatur, essentiale tamen est, **genus** vocatur: quod nec reciprocatur, nec est essentiale, nuncupatur **accidens**. Sic igitur omnia, qualiacumque sunt, problemata in quattuor illa incidunt genera, atque haec rursus in decem categorias (c. 9.).

Restat ut, quid **dialectica** sit propositio dialecticumque problema, dicatur (c. 10.). Illa quidem est interrogatio continens id, quod probatum est vel omnibus vel plurimis vel sapientibus, iisque vel omnibus vel plurimis vel illustrissimis;[1]) tum hae quoque dialecticae sunt propositiones, quae probabilibus sunt similes, quae contradictione oppositae sunt probabilium contrariis, quae ad artem aliquam pertinent atque ab huius artis peritis confirmantur. **Problema dialecticum** (c. 11.) est θεώρημα vel ζήτημα i. e. id, quod **observatur et indagatur**, quippe **probatione indigens**.[2]) Thesis autem dialectica est opinio a claro aliquo philosopho proposita, quae tamen in vulgus non est probata.

Iam quum ad bene de problemate controverso disserendum omnium primum **probationis genera** sciamus oporteat, breviter ea exponuntur c. 12. Ut enim causarum duplex est genus, alterum a natura, alterum a nobis propius: ita cognitionis duplex genus sit oportet, alterum, quod ex generalibus peculiaria concludit (syllogismus), alterum quod e peculiaribus generalia colligit (inductio). Quod ad utriusque generis attinet vim et usum, facile intelligitur, inductionem quum ad persuadendum aptiorem et certiorem, tum sensui

1) Cf. top. VIII, 2. analyt. pr. I, 1.
2) Cf. Schol. p. 256. a. 16.

apertiorem et multis communem esse: syllogismum vero maiore necessitate instare et contradictiones maiore vi repellere.[1])

3. De inventionis instrumentis agitur c. 13 usque ad libri finem.

Hactenus exposita est dialecticae notio, indoles, utilitas ac materia. Superest, ut de instrumentis, quae ad omnia generis problemata copiam argumentorum nobis suppeditant, disputetur (c. 13.). Haec autem sunt:

a. diligens rectaque propositionum sumptio,
b. subtilis sententiarum distinctio, in quas et quot unum idemque possit accipi,
c. inventio differentiarum,
d. contemplatio similitudinis.

Ad disputationem igitur recte instituendam (c. 14.) sumendae sunt propositiones, et quae in vulgus probantur (τὰ ἔνδοξα), et quae probabilibus sunt similes, et quae contradictione sunt oppositae probabilium contrariis, et quae ad artem aliquam pertinent atque ab huius artis peritis probantur. Huc accedit, quod propositiones eligamus oportet maxime generales, unde per divisionem progrediendum est ad particulares. Distinctio autem eorum, quae multis modis dicuntur (πολλαχῶς λεγόμενα), proficiscitur ex his locis (c. 15.):

1. ex contrariis,
2. ex mediis, quae inter contraria sunt interposita,
3. ex contrariis iis, quae appellantur negantia,
4. ex iis, quae secundum habitum et privationem sunt opposita,
5. ex coniugatis,
6. ex genere,

1) Cf. Trendelenburgi Elem. log. Arist. Edit. alt. p. 84.

7. ex definitione,
8. ex comparatione,
9. ex differentia.

Quod ad tertium attinet instrumentum (c. 16.), differentiae primum eorum quaerendae sunt, quae eodem continentur genere: deinde eorum, quae, licet non sint sub eodem genere, aliquo tamen cognationis vinculo continentur. De similitudinis autem indagatione (c. 17.) haec observanda sunt: Similia ex diversis generibus sunt conferenda: exerceamur etiam oportet in eruendis similitudinibus eorum, quae maxime inter se differunt: notandae sunt eorum similitudines, quae eodem continentur genere.

Rectam vero propositionum sumptionem in diligenti esse positam indagatione trium horum instrumentorum, statim intelligitur; quare haec in omni quaestione maximi sunt momenti. Siquidem enim in disserendo accurate distinguitur (c. 18.), in quas et quot sententias verbum, de quo agitur, possit accipi, facilius inde perspicitur, quid sit id, de quo ambigitur: disseritur de rebus ipsis, non de verbis: solvi poterunt captiosae aliorum argumentationes: ipsi paralogismis, si forte necessitas nos urget, alios, qui distinguendi artem ignorant, fallere possumus; quod tamen magis sophistae est, quam dialectici. Differentiarum autem indagatione facilius probatur, utrum quid sit idem an diversum; simul magis rei definitio erit in promptu, quippe quum definitio ex genere et differentiis constet. Postremo similitudinis contemplatio est utilis, quatenus primum ex peculiaribus similibus per inductionem colligere licet universale: tum, si quid de re, quae propositae rei est similis, probavimus, id de ipsa re proposita ex hypothesi probare possumus: denique quatenus ex similibus colligi potest genus ad rei propositae definitionem pertinens. *Τὰ μὲν οὖν ὄργανα, δι' ὧν οἱ συλλογισμοὶ ταῦτ' ἐστίν· οἱ δὲ τόποι πρὸς οὓς χρήσιμοι τὰ λεχθέντα οἵδε εἰσίν.*

b) Topicorum Aristotelicorum pars altera (libb. II—VIII.).

His verbis Aristoteles transit ad alteram topicorum partem, qua continetur summa totius artis dialecticae: τόποι διαλεκτικοί. Primum autem, quia accidens ex omnibus attributis patet latissime, ii exponuntur loci, qui sunt apti ad eiusmodi quaestiones, quarum attributum accidens est (libb. II. et III.); deinde liber IV. eos continet locos, qui ad proprium pertinent; tum libro V. locos Aristoteles tradit ad genus maxime aptos; denique uberrime tractat definitionem et quae definitioni sunt attributa libb. VI. et VII.— Hos tamen ad unum omnes accuratius describere τόπους supersedimus, quoniam sola τοπικῆς ratio, iam supra (lib. I.) adumbrata, ad nos pertinebit.

II. *ΠΕΙΡΑΣΤΙΚΗ.*

Ea bipertita est:

1. **dialectica** (Top. lib. VIII.), quae nihil aliud est, quam vera ac propria *διαλεκτικῆς* s. *τοπικῆς* praxis. Haec autem constat ex dispositione, interrogatione, responsione et exercitatione dialectica.
2. **sophistica**, quae continetur *Sophisticis elenchis*; iis Aristoteles duplicem persecutus est finem. Partim enim (c. 1—16.) praecipit, quomodo ipsi evadamus sophistae, explicans captiosarum conclusionum inventionem, dispositionem et totam omnino interrogandi rationem sophisticam: partim (c. 16—34.), quomodo aliis, sophistica ratione nobiscum altercantibus, occurramus eorumque ex captionibus nos expediamus.

CONFERUNTUR INTER SE CICERONIANA ET ARISTOTELICA.

Μὴ γενομένου δὲ φανεροῦ, τί ποτ' ἐστὶ τὸ προκείμενον, οὐ ῥᾴδιον ἐπιχειρεῖν. Top. VIII, 3.

Iam de ratione, quae inter Aristotelicam et Tullianam disciplinam topicam intercedat, eo consilio scribere ingredienti mihi, veri ut fontes Ciceronis topicorum aperiantur, primo diligenter videtur esse investigandum, quomodo artem illam, *τοπικήν*, et quomodo *τόπον* sive locum uterque scriptor definierit: deinde qua ratione materiam ipsam uterque tractaverit. Hac enim via si forte invenerimus, non plane idem topicis utrumque suis comprehendisse scriptorem, nec eadem ratione rem propositam pertractasse: statim ab initio generalem quandam consequemur discrepantiam, qua quasi duce uti per totam disceptationem possimus. Utrisque autem topicis in universum hoc modo inter se comparatis, deinde ad res singulas ponderandas accedemus, ubi et ea, quae Cicero ex Aristotelicis libris hauserit vel hausisse videatur, et ea, quae vel ex parte vel omnino in diversa abeant, disquirentur. Tum quid ex his omnibus ad quaestionem, quam suscepimus, persolvendam consequatur, tertia dissertationis pars complectetur.

I. Comparatio universalis.

Quum omnis ratio diligens disserendi, ait Cicero,[1]) *duas habeat partes, unam inveniendi, alteram iudicandi: utriusque princeps, ut mihi quidem videtur, Aristoteles fuit.* Atque in universum quidem recte hoc sese habet. Nam primum Aristotelem rationis disserendi seu logices [2]) constat esse aucto-

1) Top. 2, 6.
2) Cf. Cic. de fin. V, 4 et Arist. top. I, 14.

rem et conditorem[1]), deinde partitionem quoque logices, quam Cicero tradit, ex parte certe quadrare in Aristotelis scripta logica nemo infitiabitur. Quum tamen non tam numero, quam ipsa natura et facultate differre inter se partes illae videantur, paulo altius haec erunt repetenda. Scimus autem, quaecunque λογικῶς conscripserit Aristoteles, libris contineri illis, quos, Aristotelem fortasse secuta, posterior aetas complexa est uno **Organi** nomine, quum logica disciplina commune, quod et philosophiae et reliquis disciplinis inserviret, instrumentum haberetur.[2]) Iam si et rationem, qua in his libris logicis usus sit Aristoteles et quem sibi in disserendo proposuerit finem, diligenter reputaverimus, duas esse logices Aristotelicae partes inveniemus. Disserit enim et διαλεκτικῶς (λογικῶς) et ἀναλυτικῶς (ἀποδεικτικῶς, πραγματικῶς): ac διαλεκτικῶς quidem ita, ut profectus ab iis, quae in vulgus probantur (ἐξ ἐνδόξων), experiendo verum ratiocinatione aggrediatur (ἐπιχειρεῖν, ἐπιχείρημα): ἀναλυτικῶς contra ita, ut, a primis et per se certis principiis profectus, verum demonstratione probet (ἐξ ὑποθέσεως vel ἐξ ἀναγκῆς).[3]) Itaque in arte **dialectica** et **analytica** posita est universa Aristotelis logice. Has autem logices partes si cum illis, quas Cicero proponit, contulerimus, differentia quaedam fugere nos nequit. Quippe ἀναλύειν verbum apud Aristotelem longo maiorem ac graviorem habet vim facultatemque, quam **iudicare**, quod quum latius patere videtur, tum minus significanter veram

---

1) Cf. soph. el. 34: ταύτης δὲ τῆς πραγματείας οὐ τὸ μὲν ἦν, τὸ δ' οὐκ ἦν προεξειργασμένον, ἀλλ' οὐδὲν παντελῶς ὑπῆρχεν.

2) Cf. Schol. p. 259. a. 47 sqq.: ἡ μὲν γὰρ λογικὴ πραγματεία, inquit Alex. Aphrod., ὀργάνου χώραν ἔχει ἐν φιλοσοφίᾳ — σαφῶς δὲ καὶ ἐνταῦθα τὴν λογικὴν πραγματείαν ὄργανον εἶναι λέγει διὰ τὸ συνεργεῖν αὐτὴν πρὸς τὴν τῶν πρώτων ῥηθέντων εὕρεσίν τε καὶ γνῶσιν, ἀξίαν εἶναι τοῦ ζητεῖσθαι λέγων. Philop. ad anal. p. 140. a. 45., p. 143. a. 3. Philop. ad cat. 36. a. 9. David. ad cat. 25. b. 28.

3) Cf. top. I, 14.: πρὸς μὲν οὖν φιλοσοφίαν κατ' ἀλήθειαν πραγματευτέον, διαλεκτικῶς δὲ πρὸς δόξαν. Vide anal. pr. II, 16 fin., II, 23.

propriamque Aristotelicae logices rationem atque indolem exprimit; ἀναλύειν enim nequaquam simpliciter significat iudidicare i. e. κρίνειν, verum ac falsum discernere: sed potius id, quod compositum est, resolvendo, discernendo, iudicandoque ad principia atque elementa tamquam ad causas redigere.[1]) Ergo disciplina quoque analytica neque Aristoteli fuit nec nobis est simplex ac mera ars iudicandi; hanc potius dixerim inservire analyticis, utpote quibus Aristoteles comprehenderit universas cognoscendi formas rationesque. At obiecerit quispiam, Ciceronem iudicandi verbum artemque iudicandi idem significare voluisse, quod ἀναλύειν et ἀναλυτικά. Cui nihil aliud respondemus, nisi hac ratione Tullium a graeco verbo eiusque vi propria adeo aberrasse, ut argumentari liceat, eum non totam et integram Aristotelicam disciplinam cogitando comprehendisse, idque hac maxime de causa, quod, ut scriptor Romanus, qui omnia ad vitam referre soleret, vix tantam navare operam potuerit Aristotelis libris logicis, ut in iis putandus sit probe esse versatus. Imo persuasum nobis est, Ciceronem ne cognovisse quidem Aristotelis libros analyticos; quod contra nonnullorum opinionem consulto monemus.[2])

Quod vero ad rationem attinet, quae inter Aristotelis διαλεκτικήν et Ciceronis artem inveniendi intercedit, Cicero διαλεκτικήν sive τοπικήν esse ait disciplinam inveniendorum argumentorum ad quamlibet rem propositam vel confirmandam vel refellendam. Qua in definitione eum non tam philosophicas rationes, quam rhetoricas maxime esse secutum quum sponte intelligitur, tum probatur atque ad liquidum perducitur comparatis topicis cum iis, quae de eadem inveniendi arte in lib. II. de Orat. et in Partitt. oratt. inveniuntur. Nullo

1) Ἡ σύνθεσις, inquit Alex. Aphrod., ἀπὸ τῶν ἀρχῶν ὁδός ἐστιν ἐπὶ τὰ ἐκ τῶν ἀρχῶν· ἡ δ' ἀνάλυσις ἐπάνοδός ἐστιν ἐπὶ τὰς ἀρχὰς ἀπὸ τοῦ τέλους.
2) Stahr's Arist. b. d. Röm. p. 47.

autem modo tam arctis angustisque cancellis Aristoteles illam circumscribit artem. Is in topicorum initio: Ἡ μὲν πρόθεσις, ait, τῆς (προκειμένης) πραγματείας μέθοδον εὑρεῖν, ἀφ' ἧς δυνησόμεθα συλλογίζεσθαι περὶ παντὸς τοῦ προτεθέντος προβλήματος ἐξ ἐνδόξων, καὶ αὐτοὶ λόγον ὑπέχοντες μηθὲν ἐροῦμεν ὑπεναντίον. — ἐξεταστικὴ γὰρ οὖσα (ἡ διαλεκτικὴ) πρὸς τὰς ἁπασῶν τῶν μεθόδων ἀρχὰς ὁδὸν ἔχει (top. I, 2.).[1] Ex hac vero copiosa διαλεκτικῆς explicatione propria Aristotelicorum topicorum natura ac definitio facile peti potest. Ars enim topica apud Stagiritam neutiquam simplex ac mera est ars inveniendi, quae praecipue arti tantum oratoriae inserviat: sed potius ars vel disciplina latius patens, quae philosophicis maxime nixa rationibus in disserendo et argumentando a probabilibus sententiis proficiscatur; disputationibus (τῷ διαλέγεσθαι) ultro citroque habitis verum experiendo aggrediatur; difficultates ita quasi exagitet, ut verum indagetur et ad artium principia patefiat accessus; quae denique non solum inventioni ipsorum τόπων (cogitandi formarum generalium) et προτάσεων (argumentandi et concludendi principiorum), sed arti etiam argumenta bene collocandi aperiat viam.[2]) Ut ergo diversus utriusque philosophi in conscribendis topicis fuit status ac condicio, finis consiliumque: ita artis quoque illius definitiones ab utroque exhibitas inter se distare necesse erat. Cicero enim non tam ut philosophus, sed ut orator, nec tam ut Graecus, sed ut Romanus artem ab Aristotele inventam tractavit suumque in usum convertit. — Eandem autem huius disciplinae temperationem Tullianam vel strictiorem potius definitionem inveniemus, quum quid τόπον Aristoteles, Cicero locum significare voluerit, exposuerimus. Qua in disquisitione eas vocis τόπου significationes, quae ab hac arte sunt alienae, silentio praetermittemus.

---

1) Cf. soph. el. 34.: προειλόμεθα μὲν οὖν εὑρεῖν δύναμίν τινα συλλογιστικὴν (i. e. τὴν τῶν τόπων πραγματείαν) περὶ τοῦ προβληθέντος ἐκ τῶν ὑπαρχόντων ὡς ἐνδοξοτάτων· τοῦτο γάρ ἔργον ἐστὶ τῆς διαλεκτικῆς καθ' αὑτὴν καὶ τῆς πειραστικῆς.

2) Cf. Elem. log. Arist. ed. Trendelenburg p. 99.

Ut igitur, ait Cicero,[1]) *earum rerum, quae absconditae sunt, demonstrato et notato loco, facilis inventio est, sic quum pervestigare argumentum aliquod volumus, locos nosse debemus: sic enim appellatae ab Aristotele sunt hae quasi sedes, e quibus argumenta promuntur. Itaque licet definire, locum esse argumenti sedem.* Quoties praeterea Cicero de locis, e quibus argumenta eruuntur, loquitur, eorum semper Aristoteli attribuit inventionem. Velut de Orat. II, 36, 152: *Sed Aristoteles*, inquit, *is quem ego maxime admiror, posuit quosdam locos, ex quibus omnis argumenti via non modo ad philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc, qua in causis utimur, inveniretur.* Item in Orat. ad M. Brut. c. 14, 46: *Idemque* (Aristoteles), ait, *locos (sic enim appellat) quasi argumentorum notas tradidit, unde omnis in utramque partem traheretur oratio.* Inde, in universum apud Ciceronem quid sit locus, patet, argumenti dico sedem vel signum quoddam ac notam, qualia — ita enim ipse statuit — ut litterae ad verbum scribendum, sic ad disputationem instituendam statim appareant. At vero, quod quum ex hac suspensa et obscura adeo definitione, tum imprimis ex ipsa locorum tractatione Tulliana perspici licet, eiusmodi notae ac signa vereor ne sint magis universalia magisque etiam vaga, quam quae argumentanti illico occurrant. Priusquam tamen de ea re amplius disputemus, ad Aristotelem nos convertamus. — In ipsis quidem eius topicis libris, quid sit τόπος, disertis verbis, ut exspectaris, non est expositum. Quum tamen rhetorica eius arctissime cum topicis cohaereant[2]), eo confugere et, quae inde petierimus, cum topicorum sententiis, ad τόπον spectantibus, conferre licet. Definit autem Aristoteles in arte rhetorica τόπον elementum vel principium ἐνθυμήματος:

1) Top. 2, 7.
2) Cf. rhet. I, 1.: ἡ ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ — I, 2.: ὥστε συμβαίνει τὴν ῥητορικὴν οἷον παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς εἶναι — et paulo infra: ἔστι γὰρ (ἡ ῥητορική) μοριόν τι τῆς διαλεκτικῆς καὶ ὁμοίωμα.

τὰ δὲ στοιχεῖα, inquit,[1]) τῶν ἐνθυμημάτων λέγομεν· στοιχεῖον λέγω δὲ καὶ τόπον ἐνθυμήματος τὸ αὐτό — et paulo infra:[2]) τὸ γὰρ αὐτὸ λέγω στοιχεῖον καὶ τόπον· ἔστι γὰρ στοιχεῖον καὶ τόπος, εἰς δ πολλὰ ἐνθυμήματα ἐμπίπτει. Itaque utrumque nomen (στοιχεῖον et τόπος) idem valet, ita ut Aristoteles, ubi idem vult significare, promiscue uti alterutro soleat. Quemadmodum vero τόπος in rhetoricis est ἐνθυμήματος στοιχεῖον, ita in topicis ἐπιχειρήματος i. e. διαλεκτικοῦ συλλογισμοῦ.[3]) Iam στοιχεῖον δὲ, ait Arist. top. IV, 1, πρὸς ἅπαντα τὰ τοιαῦτα τὸ ἐπὶ πλέον τὸ γένος ἢ τὸ εἶδος καὶ τὴν διαφορὰν λέγεσθαι. Quibuscum sunt coniungendi loci hi: top. IV, 3 init.; IV, 6; VI, 5; VI, 9 init.; VI, 14 fin.; VII, 3 init. Haec vero testimonia coniuncta cum iis, quae petiimus ex rhetoricis, talem fere tamquam proprie Aristotelicam ostendunt τόπου definitionem: οἱ μὲν τόποι εἰσὶν ἀρχαί τινες ἢ στοιχεῖα δι' ὧν εὐπορήσομεν πρὸς ἕκαστα τῶν προβλημάτων ἐπιχειρεῖν (cf. top. VII, 5. fin.) i. e. τόπος significat principium quoddam sive elementum, unde principia vel propositiones argumentationis dialecticae petuntur. Eandem vim apud Theophrastum quoque habere τόπον, testis est Alex. Aphrod., qui: ἔστι γάρ, inquit,[4]) ὁ τόπος, ὡς λέγει Θεόφραστος, ἀρχή τις ἢ στοιχεῖον, ἀφ' οὗ λαμβάνομεν τὰς περὶ ἕκαστον ἀρχάς. Neque Alexander ipse ab ea definitione recessit, quum recte sic definierit: ἔστι δὲ ὁ τόπος ἀρχὴ καὶ ἀφορμὴ ἐπιχειρήματος.[5]) Nam quod Buhlius dicit,[6]) paulo arctioribus quam Aristotelem finibus Alexandrum circumscripsisse τόπου definitionem, quum exstent loci, qui ad syllogismos etiam demonstrativos adhibeantur: non animadvertit ille, definitionem Aphrodisiensis omnino in Stagiritae sententiam quadrare ac τόπου maxime propriam vim ipsorumque topicorum finem et consilium

---

1) Rhet. II, 22.
2) Ibidem 26.
3) Top. VIII, 11.
4) Schol. in top. p. 252. a. 12.
5) Schol. in top. p. 263. b. 1.
6) Arist. opp. omn. tom. III. p. 3.

exprimere. Etenim ut haec in transitu moneam, sicut νοῦς a δόξῃ vel a διανοίᾳ et λογισμῷ atque ut dialectica disciplina ab analytica differt: ita discernendi mihi esse videntur τόποι ab ἀρχαῖς quae simpliciter appellantur, utpote quae, quum per se fidem habeant, non probabilitatem sed demonstrationem efficiant. Videlicet in universum ut conclusio procedat, necesse est de aliqua re conveniri, quae non demonstratione probetur (πρότασις διαλεκτική, ad quam τόποι perducunt): scientia contra ut condatur, a principiis (ἀρχαῖς) nos oportet proficisci, quae per se certa et necessaria sint; haec autem analyticis libris, illa dialecticis seu topicis tractavit Aristoteles.[1]) Itaque Alexander Aphrodisiensis, bene perspiciens τόπων Aristotelicorum vim atque indolem, τόπον recte definit ἀρχὴν καὶ ἀφορμὴν ἐπιχειρήματος, Theophrastus στοιχεῖον ἢ ἀρχήν τινα, minime vero omnem ἀρχήν, velut ἀρχὴν ἀποδεικτικήν. Sed redeamus ad illud, unde devertimus. Cicero igitur, ut dictum est, definivit locum tanquam notam vel signum quoddam vel sedem argumenti i. e. orationis, quae rei dubiae faciat fidem. Quum vero demonstratio quoque (ἀπόδειξις), quae ex veris ac primis nascitur principiis, eiusmodi sit oratio, quae rei dubiae faciat fidem, Cicero eo ab Aristotele discedit, quod, non distinguens inter ἀναλυτικά et διαλεκτικά, locos quibuslibet argumentationibus tribuit. Nihilo tamen minus haec notionis amplificatio coniuncta est cum illa a nobis significata partimque probata temperatione. Nempe quum ex Aristotelis τόπου definitione, tum ex ipsa topicorum tractatione intelligitur, τόπους esse et elementa ratiocinandi generalia, quibus in

1) Cf. anal. post. I, 2. anal. pr. I, 27. Schol. in Arist. p. 140. a. 23; p. 142. a. 27; 145. b. 17. anal. post. I, 19: κατὰ μὲν οὖν δόξαν συλλογιζομένοις καὶ μόνον διαλεκτικῶς δῆλον ὅτι τοῦτο μόνον σκεπτέον, εἰ ἐξ ὧν ἐνδέχεται ἐνδοξοτάτων γίνεται ὁ συλλογισμός, ὥστ' εἰ καὶ μή ἐστι τι τῇ ἀληθείᾳ τῶν Α Β μέσον, δοκεῖ δὲ εἶναι, ὁ διὰ τούτου συλλογιζόμενος συλλελόγισται διαλεκτικῶς· πρὸς δ' ἀλήθειαν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων δεῖ σκοπεῖν — et anal. pr. I, 30: κατὰ μὲν ἀλήθειαν ἐκ τῶν κατ' ἀλήθειαν διαγεγραμμένων ὑπάρχειν, εἰς δὲ τοὺς διαλεκτικοὺς συλλογισμοὺς ἐκ τῶν κατὰ δόξαν προτάσεων.

quavis disputatione utamur, et notas quasdam, quibus axiomata inter se distinguantur, et praecepta dialectica, quaecunque ad copiam probabilium propositionum comparandam conducunt. E Ciceronis vero sententia locus non omnes illas complectitur significationes, sed earum tertiam fere solam, argumentorum dico notas ac signa quaedam, quibus axiomata inter se distinguuntur. Hae tamen notae ac signa, quae sunt generalia, minime eandem habere possunt vim, quae subest Aristotelicis elementis, quippe quae ita se habeant, ut illico subveniant in disputatione et argumentatione; neque ea argumentis tantum afferendis, sed etiam inventioni principiorum ratiocinandi et arti bene illa collocandi inserviunt. — Iam vero satis munita esse videtur via, qua ampliorem comparationis campum consecuti, quomodo uterque scriptor materiam artis topicae disposuerit ac pertractaverit, inquiramus.

Materia topicorum secundum Aristotelem constat ex problematis, de quibus disputetur, et ex propositionibus, unde argumentatio dialectica proficiscatur. Utrorumque autem quattuor sunt genera: *πᾶσα δὲ πρότασις καὶ πᾶν πρόβλημα ἢ γένος ἢ ἴδιον ἢ ὅρον ἢ συμβεβηκὸς δηλοῖ.*[1]) Ea singulis singula exponit Aristoteles libris simulque locos, qui ad illa sint accommodati, deinceps persequitur; qua in re semper et ubique instrumentorum illorum, de quibus in lib. top. I. agitur, habet rationem. Denique autem ut ars instituta omnibus sit numeris absoluta, dialecticam addit praxim et veram et sophisticam. Quid vero Cicero? Primum frustra in eius topicis illam problematum quaesiveris partitionem; ipse enim ad unum tantum quaestionum genus in exponendis locis spectavit, ad id scilicet, quod de quo quaeritur, de quo agitur, de quo ambigitur appellavit. Quo factum est, ut unum etiam locorum ordinem exhibuerit, atque eum quidem, quem ad id, de quo ageretur, accomodari oporteret. At fortasse dixerit

---

1) Top. I, 4.

quispiam, Ciceroniano illo de quo agitur contineri re vera quattuor Aristotelica problematum genera et facile haec ex illo posse erui. Recte hoc quidem. Nihilominus tamen aliquantum interest. Apud Ciceronem enim quadripartitio illa neque prorsus apparet, neque ullam omnino vim habet ad τοπικῆς ipsius constituendam rationem; Aristoteles vero in ipsa totius artis fundamentum voluit esse positum. Aliquanto autem in eo quoque Cicero et Aristoteles inter se distant, quod ille locorum duo facit genera, unum eorum, qui in re ipsa inhaerent (artificiales), alterum eorum, qui assumuntur foris (inartificiales). Quae neminem fugit hausisse Ciceronem ex Aristotelis arte rhetorica, in qua haec leguntur: [1]) *τῶν δὲ πίστεων αἱ μὲν ἄτεχνοί εἰσιν αἱ δ' ἔντεχνοι. ἄτεχνα δὲ λέγω ὅσα μὴ δι' ἡμῶν πεπόρισται ἀλλὰ προϋπῆρχεν, οἷον μάρτυρες βάσανοι συγγραφαὶ καὶ ὅσα τοιαῦτα, ἔντεχνα δὲ ὅσα διὰ τῆς μεθόδου καὶ δι' ἡμῶν κατασκευασθῆναι δυνατόν. ὥστε δεῖ τούτων τοῖς μὲν χρήσασθαι τὰ δὲ εὑρεῖν.* Quem locum ad verbum paene transscripsit Cicero de Orat. II, 27, 116, ubi haec sunt: *Ad probandum autem duplex est oratori subiecta materies, una rerum earum, quae non excogitantur ab oratore, sed in re positae ratione tractantur, ut tabulae, testimonia —, altera est, quae tota in disputatione et in argumentatione oratoris collocata est. Ita in superiore genere de tractandis argumentis, in hoc autem etiam de inveniendis cogitandum est.*[2]) Aristoteles contra in topicis, ut quae non artem oratoriam, sed dialecticam tradant, alterum τόπων genus, quod ἄτεχνον vocatur, ut alienum ab hac arte, omnino reiicit. Quamquam alterum, quod dialectici artificio paratur, retinet.

Multum igitur, quod ad summam vel caput at-

1) I, 2.
2) Cf. Cic. Partt. oratt. 14, 48. Quinct. V, 1: *Ac prima quidem illa partitio, ab Aristotele tradita, consensum fere omnium meruit, alias esse probationes, quae extra dicendi rationem acciperet orator, alias quas ex causa traheret ipse et quodammodo gigneret.*

tinet artis dialecticae, utraque topica inter se differre nemo est quin intelligat. Quae quidem differentia rationem Ciceronis topicorum non admodum videtur commendare. Recte enim illa se habere opinamur, quae Aristoteles de via et arte, unice in topicorum institutione sequenda, profert hoc modo:[1]) *Ἀλλ' οὐ μίαν,* inquit, *ἐπὶ πάντων καθόλου μέθοδον ζητητέον· οὔτε γὰρ ῥᾴδιον εὑρεῖν τοῦτ' ἐστίν, εἰ δ' εὑρεθείη, παντελῶς ἀσαφὴς καὶ δύσχρηστος ἂν εἴη πρὸς τὴν προκειμένην πραγματείαν. ἰδίας δὲ καθ' ἕκαστον τῶν διορισθέντων γένων ἀποδοθείσης μεθόδου ῥᾷον ἐκ τῶν περὶ ἕκαστον οἰκείων ἡ διέξοδος τοῦ προκειμένου γένοιτ' ἄν.*[2]) Quae prorsus valent in Ciceronem, cuius rationem non immerito dixisse nobis videmur obscurum, incommodam et propemodum inutilem. Nam neque loci omnes omnium problematum attributis communes sunt, sed aliis alii aptiores, nec, si essent, argumentorum illa quasi domicilia satis sunt apta vel finita, quibus vera ac plana condi atque excoli possit ars dialectica. Illud quidem sensisse Cicero videri potest, quum dicat:[3]) *Illud primum intelligendum est, nec ullam esse disputationem, in quam non aliquis locus incurrat, nec fere omnes locos incidere in omnem quaestionem, et quibusdam quaestionibus alios, quibusdam alios esse aptiores.* At haec praecepta omnia, quae unice fere ad artem spectant rhetoricam, vix aliquam ostendunt affinitatem cum ea, quam praeivit Aristoteles, *τοπικῆς* tractandae via, neque omnino cum illa Aristotelicae dialecticae parte, qua huius artis tractatur praxis, i. e. cum *πειραστικῇ*. Tum vero, quod hic minoris haudquaquam momenti est, inter ipsos exponendos locos illius quaestionum discriminis, quod Aristoteles per integram *τόπων* tractationem tanquam pro fundamento habuit et secutus est, nullam om-

1) Top. I, 6.

2) Qua in re iam Theophrastus a Stagirita secessit. *Καὶ Θεόφραστος δὲ,* ait Alex. Aphrod. (comm. in top. p. 257. b. 18.), *ἐν τοῖς αὐτοῦ τοπικοῖς, καθὸ μίαν μέθοδον παραδιδόναι σπουδάσας, ἐχώρισε μὲν τῶν ἄλλων τὸ συμβεβηκὸς ὡς μὴ ὑπαγόμενον τῷ ὅρῳ, τὰ ἄλλα δὲ πειρασθεὶς τῷ ὁρισμῷ ὑποτάσσειν ἀσαφεστέραν ἐποίησε τὴν πραγματείαν.* Cf. Quinct. V, 10, 55.

3) Top. 21

nino Cicero rationem habuit. Ut tamen arti huic generali, qua loci sumuntur ex definitione, ex genere, ex forma, ex adiunctis, reliquis, reddamus quae debentur: Aristoteles ipse non plane eam aspernatus est; monuit etiam hic illic, ut adhiberetur, commendavit top. III, 6; VII, 4. Sed non est habenda perfecta vel omnibus numeris absoluta, quia, licet in ea sis versatissimus, fieri tamen potest, ut argumenta necessaria nec statim nec sine errore depromas. Perfecta vero topicorum ratio et institutio Aristotelicam illam postulat et quaestionum quadripartitionem et τόπου notionem ac tractationem.

II. Comparatio specialis.

Comparare inter se, quae et in similitudine dissimilia et similia sint in dissimilitudine, id vero est eiusmodi, ut et hominum mentes illuc potissimum usquequaque trahantur et tanquam invitae rapiantur, et in quovis genere veritatis indagandae certior via nondum inventa sit. Quae Ritschelii, praeceptoris summe observandi, verissima sententia nos deducet in alteram collationis partem, qua singulos locos a Cicerone tractatos nobis visum est componere cum iis, quae in Aristotelicis libris de iisdem rebus inveniuntur vel similiter vel dissimiliter exposita. Itaque quoniam primo loco tractavit Cicero argumentum ex definitione ductum, inde initium faciamus.

Definitio, ait Cicero, [1]) *est oratio, quae id, quod definitur, explicat, quid sit.*[2]) Atque iisdem fere verbis Aristoteles, quid sit definitio, tradit:[3]) Ἔστι δ' ὅρος μὲν λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων. In quibus differentia si qua inest, non

---

1) Top. 5, 26.

2) Cf. Partt. oratt. c. 11. de Orat. II, 39, 164; III, 29, 113: *Quam autem vim quaeque res habeat, definitio explicat.*

3) Top. I, 5.

erui nisi subtilissima explicatione potest. Quaerere enim licet, idemne sit locutio τὸ τί ἦν εἶναι et illud quid sit, quippe quod cum Graecis illis ἐν τῷ τί ἐστι congruere videatur. At enim discrepantiam quandam non tam in re ipsa, quam in sola forma esse positam docet Biesius.[1]) Neque etiam scio an usquam apud Ciceronem eiusmodi acuta subtilisque inveniatur distinctio: itaque in universum eius definitionem incidere in Aristotelicam recte iudicamus. Item definiendi ratio, quam Cicero exhibet, Aristotelis praeceptis satis videtur convenire. Sic enim Tullius praecipit:[2]) *Quum sumpseris ea, quae sint ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, usque eo persequi, dum proprium efficiatur, quod nullam in aliam rem transferri possit.* Aristoteles definitionis modum constituens:[3]) *Δεῖ μὲν*, inquit, *διὰ τοῦ γένους καὶ τῶν διαφορῶν ὁρίζεσθαι τὸν καλῶς ὁριζόμενον — τὸ δὲ γένος*[4]) *βούλεται τὸ τί ἐστι σημαίνειν, καὶ πρῶτον ὑποτίθεται τῶν ἐν τῷ ὁρισμῷ λεγομένων — ἀπολείπων διαφορὰν ἡντινοῦν οὐ λέγει τὸ τί ἦν εἶναι.*[5]) Ex Aristotelis igitur et Ciceronis sententia genus tanquam universale et differentia tanquam proprium, si coniunguntur, vim naturamque rei aperiunt. *Genus* autem *est notio ad plures differentias pertinens.*[6]) Aristoteles: *Γένος δ' ἐστί*, inquit, *τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον.*[7]) — *τὸ γὰρ γένος κατὰ πάντων τῶν ὑπὸ τὸ αὐτὸ εἶδος κατηγορεῖται.*[8]) *Quum autem* (sic docet Cicero[9]))

1) Biese: Philos. d. Arist. tom. I, p. 294 et p. 366. cf. Trendelenburg in Mus. Rhen. II, 4. p. 475, et eiusdem comm. ad Arist. de anim. p. 192 sqq.
2) Top. 6, 29.
3) Top. VI, 4.
4) Top. VI, 5.
5) Top. VI, 8. cf. Anal. post. II, 13: *ζητεῖν δὲ δεῖ ἐπιβλέποντα ἐπὶ τὰ ὅμοια καὶ ἀδιάφορα, πρῶτον τί ἅπαντα ταὐτὸν ἔχουσιν, εἶτα πάλιν ἐφ' ἑτέροις, ἃ ἐν ταὐτῷ μὲν γένει ἐκείνοις, εἰσὶ δὲ αὑτοῖς μὲν ταὐτὰ τῷ εἴδει, ἐκείνων δ' ἕτερα. ὅταν δ' ἐπὶ τούτων ληφθῇ τι πάντα ταὐτόν, καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως, ἐπὶ τῶν εἰλημμένων πάλιν σκοπεῖν εἰ ταὐτόν, ἕως ἂν εἰς ἕνα ἔλθῃ λόγον· οὗτος γὰρ ἔσται τοῦ πράγματος ὁρισμός.*
6) Top. 7, 31.
7) Top. I, 5.
8) Top. IV, 1.
9) Top. 22, 83.

quid sit, quaeritur, notio explicanda est et proprietas et divisio et partitio. **Notionem** ait esse insitam et praeceptam cuiusque cognitionem enodationis indigentem. Qua in definitione, nisi fallor, Tullius ad Platonis ἰδέας spectat, contra quas Aristoteles in topicis identidem pugnat; ipse enim notionem neque ἔννοιαν neque πρόληψιν, ut Cicero, appellat, sed potius τὸ τί ἦν εἶναι, id est, quod res ipsas, quae apparent (φαινόμενα), quasi anima regit, et in quo rei natura et veritas versatur, et quod sola mentis agitatione suscipitur. **Divisio** deinde arctissime cum definitione cohaeret, quoniam, qui definit, in generis eiusque formarum rationem incidat necesse est. Nam, ut Aristotelis utar verbis, πᾶν γένος ταῖς ἀντιδιῃρημέναις διαφοραῖς διαιρεῖται. Neque proprietas a definiendo potest abesse; per hanc enim ipsam res a communitate disiungitur: ἔστι δὲ τὸ πρὸς ἄλλο ἴδιον ἀποδοῦναι τὸ διαφορὰν εἰπεῖν.[1]) Denique vero **partitionis**, qua res quasi in membra discerpitur, Aristoteles in definitione instituenda vix fecit mentionem.[2]) Sed alia apparet in huius loci tractatione similitudo. Cicero enim ad definitionem docet pertinere illud, quod appellatur **de eodem et alio**; quod genus formam quandam definitionis esse.[3]) Idem vero Aristoteles quoque ad definitionem quodammodo pertinere dicit: ὁμοίως δὲ (ὁρικὸν) καὶ τὸ πότερον ταὐτὸν αἴσθησις καὶ ἐπιστήμη, ἢ ἕτερον. καὶ γὰρ περὶ τοὺς ὁρισμούς, πότερον ταὐτὸν ἢ ἕτερον, ἡ πλείστη γίνεται διατριβή.[4]) Neque tamen differentia quaedam nos fugit. Nam secundum Ciceronis artem conveniunt in illius generis quaestiones loci, qui sumuntur ex antecedentibus, ex consequentibus, ex repugnantibus, ex causis et effectis; Aristoteles vero, qui praeterea multo etiam accuratius et copiosius et omnia, sic illa quoque problemata pertractat,[5]) eos maxime

1) Top. V, 1.
2) Top. VI, 13 et 14.
3) Top. 23, 87.
4) Top. I, 5.
5) Top. VII.

locos adhibet, qui ex coniugatis et oppositis promuntur: *πότερον δὲ ταὐτόν*, ait, *ἢ ἕτερον — σκοπεῖν ἔκ τε τῶν πτώσεων καὶ τῶν συστοίχων καὶ τῶν ἀντικειμένων.*[1]) In illos quidem, quos Cicero commemorat locos, quodammodo quadrant, quae Aristoteles sic explicat: *ἔτι ἐκ τῶν τούτοις συμβεβηκότων, καὶ οἷς ταῦτα συμβέβηκεν, ἐπισκοπεῖν· ὅσα γὰρ θατέρῳ συμβέβηκε, καὶ θατέρῳ δεῖ συμβεβηκέναι, καὶ οἷς θάτερον αὐτῶν συμβέβηκε, καὶ θάτερον δεῖ συμβεβηκέναι. εἰ δέ τι τούτων διαφωνεῖ, δῆλον ὅτι οὐ ταὐτά. — ἔτι εἰ δυνατὸν θάτερον ἄνευ θατέρου εἶναι· οὐ γὰρ ἂν εἴη ταὐτόν.*[2]) — Postremo hic silentio praeterire non possumus, Aristotelem iam in arte rhetorica illum ex definitione locum tradidisse his verbis: [3]) *ἄλλος (τόπος) ἐξ ὁρισμοῦ, οἷον ὅτι τὸ δαιμόνιον οὐδέν ἐστιν ἀλλ' ἢ θεὸς ἢ θεοῦ ἔργον· καίτοι ὅστις οἴεται θεοῦ ἔργον εἶναι, τοῦτον ἀνάγκη οἴεσθαι καὶ θεοὺς εἶναι.* — Sed in similitudinibus captandis ne diutius moremur: eas et fortuitas et necessarias esse quum sponte patet, tum ex iis, quae infra commemorabo, apparebit. Hoc loco id certe in universum intelligitur, de ratione et scientia definiendi utrumque eadem fere auctorem docere. Et Cicero quidem hanc rem, ut reliqua omnia, brevissime tractat maioremque etiam artis oratoriae, quam dialecticae, habet rationem; Aristoteles autem, quanquam dicit:[4]) *εἴθ' (εἰδέναι δεῖ) ὅτι δι' ἀκριβείας μὲν ἄλλης ἐστὶ πραγματείας ἀποδοῦναι καὶ τί ἐστιν ὅρος καὶ πῶς ὁρίζεσθαι δεῖ*, copiose tamen secundum dialecticae artem tum definitionem, tum ad eam qui pertinent locos, persecutus est.

Iam vero inquirendum, quae in hoc definitionis loco plane in diversa abeant. Cicero definitionum, quod ad rei materiam attinet, duo statuit genera primaria:[5]) unum earum rerum, quae sunt, i. e. quae tangi cernive possunt, alterum earum, quae intelliguntur i. e. quae animo

6) Top. VII, 1.
2) Ibid. Cf. top. II, 2 et 4.
3) Rhet. II, 23.
4) Top. VII, 3.
5) Top. 5.

cernuntur atque intelliguntur. Tum quod ad definitionum attinet formam, alias ait esse definitiones partitionum, alias divisionum. *Sunt etiam*, addit,[1]) *alia genera definitionum; sed ad huius libri institutum illa nihil pertinent.* Verum haec omnia ab Aristotelis doctrina plane sunt aliena. Is enim unam tantum agnoscit veram definitionem, atque eam quidem, quae quid sit res et rei substantiam exponit: *λόγος τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων — ὁρισμὸς μὲν γὰρ τοῦ τί ἐστι καὶ οὐσίας.*[2]) Quippe eam quoque definitionem, quae nihil aliud agit, nisi ut verbi vim et potestatem ex linguae usu aperiat (*τί σημαίνει τοὔνομα*), a legitima definitione multum distare docet Aristoteles his verbis:[3]) *ὅσοι δ' ὁπωσοῦν ὀνόματι τὴν ἀπόδοσιν ποιοῦνται, δῆλον ὡς οὐκ ἀποδιδόασιν οὗτοι τὸν τοῦ πράγματος ὁρισμόν, ἐπειδὴ πᾶς ὁρισμὸς λόγος τίς ἐστιν.* Eadem monere nobis in reliqua illa licet definitionum genera, a Cicerone partim nominata, partim ut aliena a topicorum instituto, praetermissa.[4])

Proximus est locus, qui a partium enumeratione sumitur. Cuius formulam habes apud Aristotelem hanc: *ἔτι ἐφ' ὧν ἔστιν ἢ εἴδει ἢ ἀριθμῷ διορίσαι τὸ συμβεβηκός, σκεπτέον εἰ μηδὲν τούτων ὑπάρχει, οἷον ὅτι ὁ χρόνος οὐ κινεῖται οὐδ' ἐστὶ κίνησις, καταριθμησάμενον πόσα εἴδη κινήσεως· εἰ γὰρ μηδὲν τούτων ὑπάρχει τῷ χρόνῳ, δῆλον ὅτι οὐ κινεῖται οὐδ' ἐστὶ κίνησις.*[5]) Planius etiam eundem tradit locum Aristoteles in rhetoricis:[6]) *ἄλλος* (*τόπος*), inquit, *ἐκ διαιρέσεως — ἄλλος ἐκ τῶν μερῶν, ὥσπερ καὶ*

1) Top. 6.
2) Cf. top. VII, 3: *εἰ γάρ ἐστιν ὅρος λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι τῷ πράγματι δηλῶν, καὶ δεῖ τὰ ἐν τῷ ὅρῳ κατηγορούμενα καὶ ἐν τῷ τί ἐστι τοῦ πράγματος μόνα κατηγορεῖσθαι, κατηγορεῖται δ' ἐν τῷ τί ἐστι τὰ γένη καὶ αἱ διαφοραί, φανερὸν ὡς εἴ τις λάβοι ταῦτα μόνον ἐν τῷ τί ἐστι τοῦ πράγματος κατηγορεῖσθαι, ὅτι ὁ ταῦτα ἔχων λόγος ὅρος ἐξ ἀνάγκης ἂν εἴη· οὐ γὰρ ἐνδέχεται ἕτερον εἶναι ὅρον, ἐπειδὴ οὐδὲν ἕτερον ἐν τῷ τί ἐστι τοῦ πράγματος κατηγορεῖται.*
3) Top. I, 5.
4) Ceterum de definitione cf. Boethii comm. in Cic. top. p. 325 sqq. edit. Orell.
5) Top. III, 6 fin. Cf. top. II, 2 (109. b. 13.); II, 4 (111. a. 33); VI, 13 et 14.
6) II, 23.

ἐν τοῖς τοπικοῖς[1]) ποία κίνησις ἡ ψυχή. Ex quibus simul intelligitur, interdum Aristotelem quoque, perinde ac Ciceronem, generis formas accepisse pro partibus.

Sequitur notatio, quae in hoc cernitur, ut vocabulum ac nomen ἐτυμολογίᾳ explicetur. Est autem forma quaedam definitionum illarum, de quibus Boethius in libro de definitione egit. Attingere videtur hunc locum Aristoteles, quum: ἔτι, ait,[2]) τὸ ἐπιχειρεῖν μεταφέροντα τοὔνομα ἐπὶ τὸν λόγον, ὡς μάλιστα προσῆκον ἐκλαμβάνειν ἢ ὡς κεῖται τοὔνομα.[3]) Hic enim τόπος in interpretatione nominis versatur. Magis tamen in notationem, quam Cicero appellat, illa incurrunt, quae Aristoteles tradit in arte rhetorica[4]) hoc modo: ἄλλος ἀπὸ τοῦ ὀνόματος, οἷον ὡς ὁ Σοφοκλῆς·

σαφῶς Σιδηρὼ καὶ φοροῦσα τοὔνομα.

Quam vero Cicero appellat notam, ab Aristotele id nominatum esse dicit σύμβολον, quia verba sint rerum notae.[5]) Quod quidem verbum in topicis, quae hodie vocantur, non invenitur; qua de causa adduci quis possit, ut Ciceronem respexisse credat ad Aristotelis librum, qui inscriptus est περὶ ἑρμηνείας, in quo haec habemus:[6]) ἔστι μὲν οὖν τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ. Sed cognitum hunc librum Ciceroni fuisse non minore nobis videmur iure negare, quam quo analytica eum legisse negandum ducimus. Adest tamen idem in elenchis etiam sophisti-

1) Errare apparet Knebelium (Ueb. der Rhet. p. 197. Anm. 26.), egregium rhetoricorum interpretem, qui cum Rothio Aristotelem h. l. m e m o r i a l a p s u m laudare ponit extremum tertium topicorum librum. Testimonium scilicet illud optime quadrat in top. II, 4, ubi haec sunt: ἐὰν οὖν τι τεθῇ λεγόμενον ἀπὸ τοῦ γένους ὁπωσοῦν, οἷον τὴν ψυχὴν κινεῖσθαι, σκοπεῖν εἰ κατά τι τῶν εἰδῶν τῶν τῆς κινήσεως ἐνδέχεται τὴν ψυχὴν κινεῖσθαι, οἷον αὔξεσθαι ἢ φθείρεσθαι ἢ γίνεσθαι ἢ ὅσα ἄλλα κινήσεως εἴδη. εἰ γὰρ κατὰ μηδέν, δῆλον ὅτι οὐ κινεῖται. Cf. top. IV, 1.

2) Top. II, 6.

3) Cf. top. II, 4.

4) II, 23.

5) Top. 8, 35.

6) Cap. 1.

cis, quos Aristoteles integrum cum ipsis topicis librum effecerat[1]) (qui liber num Ciceronis aetate iam fuerit inscriptione seiunctus a topicis, in disceptationem possis vocare); in illis:[2]) ἐπεὶ γὰρ οὐκ ἔστιν, ait Aristoteles, αὐτὰ τὰ πράγματα διαλέγεσθαι φέροντας, ἀλλὰ τοῖς ὀνόμασιν ἀντὶ τῶν πραγμάτων χρώμεθα συμβόλοις, τὸ συμβαῖνον ἐπὶ τῶν ὀνομάτων κ. τ. λ. Qui locus num is sit, ex quo Cicero συμβόλων notionem desumpserit, in medio relinquamus; congruere autem in universum inter se Aristotelicam et Ciceronianam de notatione doctrinam in propatulo est.

Rursus dehinc discrepantiam quandam in loco ex coniugatione reperimus, quam Cicero dicit Graecos vocare συζυγίαν: hanc enim vocem illa significatione nunquam usurpare Aristoteles videtur,[3]) qui locum illum ἐκ συστοίχων καὶ πτώσεων[4]) appellet. Posteriore quidem nomine adverbia potissimum in libris topicis intelligit;[5]) simul tamen πτώσεις (adverbia) in coniugatorum (συστοίχων) numero ponit, ubi: σύστοιχα δὲ λέγεται, ait,[6]) τὰ κατὰ τὴν αὐτὴν συστοιχίαν ἅπαντα, οἷον δικαιοσύνη, δίκαιος, δίκαιον, δικαίως. Porro quod ad huius loci utilitatem usumque attinet, Aristoteles eum cum aliis paucis prae ceteris esse ad disputationem aptum dicit: μάλιστα δ' ἐπίκαιροι καὶ κοινοὶ τῶν τόπων οἵ τ' ἐκ τῶν ἀντικειμένων καὶ τῶν συστοίχων καὶ τῶν πτώσεων·[7]) — εἰσὶ δὲ καὶ ἐπικαιρότατοι τῶν τόπων οἵ τε νῦν εἰρημένοι καὶ οἱ ἐκ τῶν συστοίχων καὶ οἱ ἐκ τῶν πτώσεων. διὸ καὶ δεῖ μάλιστα κατέχειν καὶ προχείρους ἔχειν τούτους· χρησιμώτατοι γὰρ πρὸς πλεῖστα.[8]) Ciceronem vero non tanti fecisse hanc ex coniugatis argumentationem iure collegerimus inde, quod,

1) Cf. soph. el. c. 34.
2) Cap. 1.
3) Cf. top. II, 7 med.
4) Cf. top. II, 9 init.
5) Cf. top. I, 15. II, 8. III, 3. VI, 10. Suidas s. v. πτώσεις. In categoriarum libello πτώσεις idem est, quod σύστοιχα. Cf. cat. 1 et 7 init. Rhet. II, 23.
6) Top. II, 9.
7) Top. III, 6.
8) Top. VII, 4.

ubi, qui sint ad quasque quaestiones loci maxime accommodati, enumerat, eum, qui est ex coniugatis, omittit.

Quum autem a genere ducetur argumentum, non erit necesse, id usque a capite arcessere:[1]) ὁ γὰρ, ut Aristotelis utar verbis, εἰς τὸ ἐγγυτάτω θεὶς πάντα τὰ ἐπάνω εἴρηκεν, ἐπειδὴ πάντα τὰ ἐπάνω γένη τῶν ἀνακάτω κατηγορεῖται.[2]) *Commode etiam tractatur haec argumentatio, quae ex genere sumitur, quum ex toto partes persequare* sive formas, atque id, quod probare velis, in earum aliquam includas: καθ' ὧν γὰρ τὸ εἶδος κατηγορεῖται, καὶ τὸ γένος δεῖ κατηγορεῖσθαι[3]).

Succedit locus a forma generis, quam eandem et Cicero et Aristoteles partem, ut diximus, appellant. In qua argumentatione, quod ad formulam attinet, Ciceronem errasse supra indicatum est. Aristoteles hunc locum tractans: πάλιν δ', inquit,[4]) ἐκ τοῦ εἴδους τῷ γένει· ὅσα γὰρ τῷ εἴδει ὑπάρχει, καὶ τῷ γένει, οἷον εἰ ἔστιν ἐπιστήμη φαύλη καὶ σπουδαία, καὶ διάθεσις φαύλη καὶ σπουδαία. ἡ γὰρ διάθεσις τῆς ἐπιστήμης γένος. Quo tamen loco nihil aliud effici potest, quam ut de generis parte aliquid affirmetur, adeo ut Aristoteles quoque errare videatur. Exemplo autem hoc erit:

Omne quadratum rectos angulos habet,
Omne quadratum parallelogrammum est:
Sunt parallelogramma, quae rectos angulos habeant.[5])

Similitudo sequitur. *Sunt*, ait Cicero, [6]) *similitudines, quae ex pluribus collationibus perveniunt, quo volunt — haec appellatur* i n d u c t i o, *quae graece* ἐπαγωγή *nominatur.* De qua Aristoteles habet haec: ἐπαγωγὴ δὲ ἡ ἀπὸ τῶν καθ' ἕκαστον ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος.[7]) *Alterum similitudinis genus*,

---

1) Top. 9, 39.
2) Top. VI, 5.
3) Top. IV, 1 med. Cf. top. II, 4.
4) Top. II, 4.
5) Cf. Elem. log. Arist. ed. Trendelenburg. Edit. alt. p. 91 sqq.
6) Top. 10, 42.
7) Top. I, 12. Cf. top. II, 5. VIII, 1. anal. pr. II, 23.

pergit Tullius, *collatione sumitur, quum una res uni, par pari comparatur.* Neque, non eadem fere ratione Aristoteles hoc similitudinis genus seiungit ab inductione, quum tradat haec: *ἔτι διὰ τῆς ὁμοιότητος συνθάνεσθαι· καὶ γὰρ πιθανὸν καὶ λανθάνει μᾶλλον τὸ καθόλου. — τοῦτο δ' ἐστὶν ὅμοιον ἐπαγωγῇ, οὐ μὴν ταὐτόν γε.*[1]) Usum deinde huius loci Stagirites creberrimum esse profitetur. Et Cicero similitudinem late patere dicit oratoribus praecipue et philosophis. Ad **exempla** vero quod attinet, ex hoc similitudinis loco a Cicerone deprompta, eorum Aristoteles in topicis quidem nullam omnino mentionem fecit: et re vera magis oratorum sunt illa, quam philosophorum. Denique autem eundem similitudinis locum ab Aristotele exponi in arte rhetorica non possumus non animadvertere, ubi ipsius verba sint haec: *ἄλλος ἐξ ἐπαγωγῆς — ἄλλος ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα — ἄλλος ἐκ κρίσεως περὶ τοῦ αὐτοῦ ἢ ὁμοίου ἢ ἐναντίου.*[2])

Iam ex differentia et ex adiunctis locos praetermittere liceat; contineri enim quodammodo prior videtur eo, qui e contrariis ducitur, alter eo, qui vel e consequentibus vel ex effectis sumitur; praeterea non modo non iuris consultorum hic locus est, sed ne philosophorum quidem; maxima enim ex parte oratorius.[3])

Ad ea igitur progrediamur argumenta, quae ex contrariis desumuntur. Quattuor autem exponit Cicero contrariorum genera: alia, quae adversa appellantur: alia, quae latine privantia, graece *στερητικά* nominantur: alia, quae cum aliquo conferuntur: alia, quae appellantur negantia (*ἀποφατικά*). Eandem fere quidem oppositorum partitionem apud Aristotelem invenimus: *ἐπεὶ δ' αἱ ἀντιθέσεις*, inquit,[4]) *τέτταρες, σκοπεῖν ἐκ μὲν τῶν ἀντιφάσεων* (negantium). — *ἐπὶ δὲ τῶν ἐναντίων* (adversorum) *σκοπεῖν — ὁμοίως δὲ τοῖς ἐναντίοις καὶ ἐπὶ τῶν στερή-*

---

1) Top. VIII, 1. Cf. II, 10. VII, 3.
2) II, 23.
3) Cf. Cic. de Invent. I, 9. Orat. ad B. 41. Arist. Rhet. II, 24: *ἄλλος διὰ τὸ συμβεβηκός.*
4) Top. II, 8.

σεων καὶ ἕξεων (privantium) *σκεπτέον* — *ὁμοίως δὲ τῇ ἕξει καὶ τῇ στερήσει καὶ ἐπὶ τῶν πρός τι* (quae cum aliquo conferuntur) *χρηστέον.*[1]) Discrimen tamen hoc est, quod Cicero totum oppositorum genus appellat contraria i. e. *ἐναντία*, Aristoteles contra *ἀντικείμενα*, ut aperte intelligitur ex hac sententia: *σκεπτέον γὰρ ἐπὶ τῶν ἐναντίων καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἀντικειμένων.* Ex eiusmodi vero dissimilitudine Ciceronem in scribendis topicis ad alia vel Aristotelis[2]) vel aliorum, ut Stoicorum, scripta ac praecepta animum advertisse nostro iure colligimus.

Atque in maiorem etiam haec coniectura verisimilitudinem crescit, quum, quomodo Cicero locum ex causis[3]) tractaverit, reputaverimus. Nam primaria causarum divisio in eas, quae vi sua id, quod sub eam vim subiectum est, certe efficiunt, et eas, quae naturam efficiendi non habent, sed sine quibus effici non potest, ab Aristotelica causarum partitione magnopere differt. Quod ut probemus, ad alia Aristotelis scripta recurrendum est, quia in topicis locus ille a causis et ab effectis[4]) non magnas, ut ita dicam, habet partes.[5]) Quattuor autem posuit causas Aristoteles (cf. phys. II, 3. met. I, 3 et V, 2.), quibus unumquodque conficitur:

1) Cf. cat. 10 init.: *Περὶ δὲ τῶν ἀντικειμένων, ποσαχῶς εἴωθεν ἀντικεῖσθαι ῥητέον· λέγεται δὲ ἕτερον ἑτέρῳ ἀντικεῖσθαι τετραχῶς, ἢ ὡς τὰ πρός τι, ἢ ὡς τὰ ἐναντία, ἢ ὡς στέρησις καὶ ἕξις, ἢ ὡς κατάφασις καὶ ἀπόφασις.* Vide top. II. 6 et 7.

2) Cf. rhet. II, 23: *ἔστι δ' εἷς μὲν τόπος τῶν δεικτικῶν ἐκ τῶν ἐναντίων: δεῖ γὰρ σκοπεῖν εἰ τῷ ἐναντίῳ τὸ ἐναντίον ὑπάρχει, ἀναιροῦντα μὲν εἰ μὴ ὑπάρχει.* Et hac quidem ratione Cicero top. 3. 17. abusum bonorum non esse legatum probat, quippe quum usus tantum sit legatus. — Illustrans dein Aristoteles *τόπον ἐκ τῶν ἐναντίων*: *Σωφρονεῖν*, inquit, *ἀγαθόν· τὸ γὰρ ἀκολασταίνειν βλαβερόν.* Neque aliter Cicero, quum dicit top. 11, 47: *Si stultitiam fugimus, sapientiam sequemur, et bonitatem, si malitiam.* Conf. Quinct. V, 10, 43.

3) Cf. top. III, 1 (116. b. 1.) et rhet. II, 23: *ἄλλος ἀπὸ τοῦ αἰτίου, ἄν τε ὑπάρχῃ, ὅτι ἔστι, κἂν μὴ ὑπάρχῃ, ὅτι οὐκ ἔστιν· ἅμα γὰρ τὸ αἴτιον καὶ οὗ αἴτιον, καὶ ἄνευ αἰτίου οὐθέν ἐστιν.*

4) Rhet. II, 23: *ἐκ τοῦ ἀκολουθοῦντος* — *ἄλλος ἐκ τοῦ τὸ συμβαῖνον ἐὰν ᾖ ταὐτόν, ὅτι καὶ ἐξ ὧν συμβαίνει ταὐτά.*

5) Cf. top. II, 8.

primam, ex qua fit aliquid, quam vocat materiam (ἕνα μὲν οὖν τρόπον αἴτιον λέγεσθαι τὸ ἐξ οὗ γίνεταί τι ἐνυπάρχοντος): secundam, quae constituit cuiuslibet rei rationem speciemque (ἄλλον δὲ τὸ εἶδος καὶ τὸ παράδειγμα· τοῦτο δ' ἐστὶν ὁ λόγος ὁ τοῦ τί ἦν εἶναι καὶ τὰ τούτου γένη): tertiam, quae movendi principium est (τρίτη δὲ ἥ τι πρῶτον ἐκίνησεν): quartam, quae versatur in fine, propter quem unaquaeque res efficitur (τὸ τίνος ἕνεκα). Praeterea vero quas Cicero adiicit causarum partitiones minutissimas, eae fere sunt oratoriae,[1]) et perinde ac prior illa causarum divisio e Stoicorum fluxisse videntur praeceptis.[2])

Neque de hoc artis a se institutae fonte Cicero nos voluit celatos. Quippe: *Deinceps est,* ait,[3]) *locus dialecticorum* (i. e. Stoicorum[4])) *proprius ex consequentibus et antecedentibus et repugnantibus.* Stoicorum ergo sunt proprii quinque vel potius septem a Cicerone traditi hypothetici disiunctivi, quos dicunt, conclusionis modi. Idque etiam praeter alios testatur Diogenes Laertius,[5]) qui *εἰσὶ δὲ καί,* inquit, *ἀναπόδεικτοί τινες (λόγοι) τῷ μὴ χρήζειν ἀποδείξεως, ἄλλοι μὲν παρ' ἄλλοις, παρὰ δὲ τῷ Χρυσίππῳ πέντε, δι' ὧν πᾶς λόγος πλέκεται — πρῶτος δ' ἐστὶν ἀναπόδεικτος, οἷον:*

εἰ τὸ πρῶτον, τὸ δεύτερον·
ἀλλὰ μὴν τὸ πρῶτον: τὸ ἄρα δεύτερον.

Quem concludendi modum Cicero explicat eadem omnino ratione secundum formulam hanc:

Si hoc est, illud est;
hoc autem est: illud igitur.

Δεύτερος δ' ἐστὶν — οἷον:

εἰ ἡμέρα ἐστί, φῶς ἐστιν·
ἀλλὰ μὴν νὺξ ἐστιν: οὐκ ἄρα ἡμέρα.

Idem Cicero sic:

---

1) Cf. Partt. oratt. 26.
2) Cf. Brand. in Mus. Rhen. III, 4 p. 550 sqq.
3) Top. 12, 53.
4) Cf. de Orat. II, 38.
5) VII, 79 et 80. Cf. Sext. Empir. Pyrron. hyp. II, 158.

Si hoc est, illud est;
atqui illud non est; non igitur hoc.[1])

Τρίτος δ' ἐστιν — οἷον:

Οὐχὶ τέθνηκε Πλάτων, καὶ ζῇ (οὐ τέθνηκε) Πλάτων·
ἀλλὰ μὴν τέθνηκε Πλάτων: οὐκ ἄρα ζῇ (τέθνηκεν ἄρα) Πλάτων.

Hunc quoque concludendi modum Cicero eadem omnino ratione explanat his verbis: *Quum autem aliqua coniuncta negaris et ex iis unum aut plura sumpseris, ut quod relinquitur tollendum sit* (*τρίτος δ' ἐστὶν ἀναπόδεικτος ὁ δι' ἀποφατικῆς συμπλοκῆς καὶ ἑνὸς τῶν ἐν τῇ συμπλοκῇ ἐπιφέρων τὸ ἀντικείμενον τοῦ λοιποῦ*), *is tertius appellatur conclusionis modus.*[2]) Cuius argumentationis formula haec est:

Non et hoc est et non est illud;
hoc autem est: illud igitur.

Τέταρτος δ' ἐστὶν — οἷον:

ἤτοι τὸ πρῶτον, ἢ τὸ δεύτερον·
ἀλλὰ μὴν τὸ πρῶτον: οὐκ ἄρα τὸ δεύτερον.

Cicero item:

Aut hoc, aut illud;
hoc autem: non illud igitur.

Πέμπτος δ' ἐστὶν — οἷον:

ἤτοι ἡμέρα ἐστίν, ἢ νύξ ἐστιν·
οὐχὶ δὲ νύξ ἐστιν: ἡμέρα ἄρα ἐστίν.

---

1) Top. 13, 54: *Quum id, quod annexum est, negaris, ut id quoque, cui fuerit annexum, negandum sit, secundus is appellatur concludendi modus.* Diog. Laert. l. l.: *δεύτερος δ' ἐστὶν ἀναπόδεικτος ὁ διὰ συνημμένου καὶ τοῦ ἀντικειμένου τοῦ λήγοντος τὸ ἀντικείμενον τοῦ ἡγουμένου ἔχων συμπέρασμα — ἡ γὰρ πρόςληψις γίνεται ἐκ τοῦ ἀντικειμένου τῷ λήγοντι καὶ ἡ ἐπιφορὰ ἐκ τοῦ ἀντικειμένου τῷ ἡγουμένῳ.*

2) Ibid.: Iure interpretes verba illa: *et his alia negatio rursus adiungitur*, inserta in quibusdam inferioris notae codicibus, reiecerunt. Neque enim persuasit nobis Brandisius, qui de hac re egit in Mus. Rhen. III, 4. p. 549 adnot. Erravit quippe praeceptor hic meus illustrissimus in eo, quod non propriam huic loco sententiam intulit; nam illis verbis: *quum autem aliqua coniuncta negaris*, aliud nihil significatur, nisi hoc: quum autem inter se repugnantia coniungi non posse posueris; velut Non et vivit Plato et non vivit Plato.

Idem Cicero sic explicat:

Aut hoc, aut illud;

non autem hoc: illud igitur.

His igitur exemplis, Ciceronem in topicis exponendis Stoica quoque praecepta in suum convertisse usum, dilucide probatur. — Sed hic locus, qui est ex antecedentibus et consequentibus et repugnantibus, ut de alia re, quam iam supra[1]) significavimus, paucis exponamus, admonet. Aliquid scilicet momenti in huius loci tractatione, quam Cicero instituit, inesse nobis videtur ad probandum, analytica Aristotelis ignota fuisse Tullio. Quid enim? In topicis Cicero nihil aliud agit, quam ut illum locum iuxta ceteros ponat, neque ullo modo singularem ei tribuat vim ad ipsam artis topicae rationem constituendam. At vero Aristoteles in analyticis:[2]) *πῶς δ' εὐπορήσομεν αὐτοί*, inquit, *πρὸς τὸ τιθέμενον ἀεὶ συλλογισμῶν, καὶ διὰ ποίας ὁδοῦ ληψόμεθα τὰς περὶ ἕκαστον ἀρχάς, νῦν ἤδη λεκτέον· — δεῖ δὴ τὰς προτάσεις περὶ ἕκαστον οὕτως ἐκλαμβάνειν, ὑποθέμενον αὐτὸ πρῶτον καὶ τοὺς ὁρισμούς τε καὶ ὅσα ἴδια τοῦ πράγματός ἐστιν, εἶτα μετὰ τοῦτο ὅσα ἕπεται τῷ πράγματι, καὶ πάλιν οἷς τὸ πρᾶγμα ἀκολουθεῖ καὶ ὅσα μὴ ἐνδέχεται αὐτῷ ὑπάρχειν.* Itaque Aristoteles locum ex consecutione et antecessione et repugnantia tanquam fundamentum ac principium analyticae alicuius posuit *τοπικῆς*. Quam illius *τόπου* gravitatem et potestatem ignorasse Ciceronem verisimillimum est.

Reliquus est comparationis locus, quem Aristoteles quum aliis locis,[3]) tum maxime topicorum libro tertio pertractat. *Δῆλον οὖν*, inquit,[4]) *ἐπὶ τῶν τοιούτων ὅτι δειχθείσης ὑπεροχῆς ἢ μιᾶς ἢ πλειόνων συγκαταθήσεται ἡ διάνοια ὅτι τοῦτ' ἐστὶν αἱρετώτερον, ὁπότερον τυγχάνει αὐτῶν ὑπέρεχον, πρῶτον μὲν οὖν τὸ πολυχρονιώτερον ἢ βεβαιότερον αἱρετώτερον τοῦ ἧττον τοιούτου.*

1) p. 27.
2) Anal. pr. I, 27.
3) Top. II, 10.
4) Top. III, 1 init.

Item Cicero: *Diuturniora,* ait,[1]) *bona brevioribus, stabilia incertis anteponuntur: ἔτι τὰ πλείω ἀγαθὰ τῶν ἐλαττόνων: plura bona paucioribus bonis anteponuntur.* Neque reliqua Ciceronis exempla ab Aristotelicis recedunt. Eodem autem modo, quae est in rhetoricis Aristotelicis huius loci tractatio, cum Ciceronis descriptione omnino congruit. Nam ἄλλος, inquit,[2]) *ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον· — ἔτι εἰ μήτε μᾶλλον μήτε ἧττον* i. e. petuntur argumenta ex comparatione maiorum, minorum et parium.[3])

ENARRANTUR QUAE EX COLLATIONE SEQUUNTUR.

Absoluta locorum eosque tractandi rationum comparatione, e qua et similia esse utrisque in topicis et dissimilia viderimus, iam primum, quid de similibus sit statuendum, paucis ostendamus. In universum quidem non tantam horum vim esse, ut propterea Ciceronem dicamus Aristotelis librum explicandum sibi proposuisse, vel ex eo satis intelligitur, quod non in universa topicorum compositione apparent, sed ad res singulas referuntur. Quaeritur autem, unde potissimum videantur profecta. Qua in re primum, si quis ex Aristotelici libri lectione fluxisse omnia contendat, ei si non tantum (discrepantiae enim illud negare nos cogunt), at hoc certe facile concesserimus, Ciceronem librum, quem in bibliotheca haberet

1) Top. 18, 69.
2) Rhet. II, 23. Cf. top. II, 10.
3) Cf. Cic. top. 4, 23. 18, 68 et 71..

sua, aliquando evolvisse; hoc vero illo praeter cetera respiciat, quum unamquamque disciplinam, tum topicen tam certis angustisque esse finibus circumscriptam, ut, si de una eademque meditari duo philosophi instituerint, fieri non possit, quin in rebus maxime ad cogitandi formas rationesque spectantibus multa inter se habeant communia: quo valet hoc quoque, quod ad Aristotelicae artis rhetoricae partem topicam sat prope accedere Ciceronem cognovimus. Ex similibus igitur rationem, quae intercedat inter utraque topica, non admodum posse illustrari facile apparet. Quare ad ea, quae sunt dissimilia, perpendenda accedamus.

Tantopere vero quoniam inter se differre utrorumque topicorum fundamenta ex priore comparationum nostrarum perspeximus, nihil est, quod habeamus antiquius, quam ut, differentia haec tanta cum Ciceroniano illo *Institui topica Aristotelica conscribere* conciliari qui possit, quaeramus. Cuius quaestionis, ut in prolegomenis expositum habes, duces nostra aetate fuere Buhlius et Lyndenius. Et horum ille quidem nodum expediturus: *Ipsos*, inquit, *Stagiritae libros, dum scripsit, non inspexit Cicero, sed memoria tantum, quae antea, dum in Tusculano versabatur, in iis legerat, repetiit. — Non mirum ergo est, quod nonnunquam alia dixit Cicero, quam ex Aristotelis mente dicere debuisset (nam egregie memoria falli potuerat) et quod Ciceronis topica Aristotelicis breviora sunt.* Sed opinionem hanc Buhlii, veritatis vix specie quadam ornatam, ipsa utrorumque topicorum cognitione affatim refutatur. Nimirum, quae vel in primariis capitibus ab Aristotelica discrepet, artem topicam Ciceronianam ipsi auctori visam esse vere Aristotelicam quis tandem somniabit, nisi qui ineptias obtrudere Ciceroni volet? Immo certissimum nobis est, ne voluisse quidem Ciceronem vel latine iterare Aristotelis topica, vel hoc ipso duce, ut Buhlius ait, Trebatii animo illius artis notionem informare, ita ut Stagiritae liber illustraretur. Ac demonstrani hoc praeter eam, quae est in re summa, discrepantiam, etiam iis rebus

potest, quod primum quidem nulla a Cicerone inicitur mentio eius rationis, quae suam inter et Aristotelicam artem intercedat: deinde quod Stoicorum et Aristotelis studia, in arte logica collocata, inter se statim in libelli exordio consociantur: tum quod aliena ab Aristotele praecepta quaedam, Stoicorum potissimum propria, a Cicerone in suum librum translata leguntur: denique quod satis apparet, Trebatium de universa tantum topicorum ratione cogitasse. Quapropter alia ad expediendas difficultates ingredienda via est. Nec defuerunt, qui quum librorum differentia, tum aliis commoti causis, Ciceronem statuerent secutum esse Aristotelicum de locis scriptum, temporis iniquitate exstinctum. Quid enim? Non ipse Cicero praeter haec, quae supersunt, dialectica significare altera videtur topica, ad rhetoricam magis artem accommodata, ubi dicit:[1]) *Sed Aristoteles, is quem ego maxime admiror, posuit quosdam locos, ex quibus omnis argumenti via non modo ad philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc orationem, qua in causis utimur, inveniretur?* Atque haec ipsa, ni fallor, verba Lyndenium in Quaerengianam reduxerunt sententiam, eamque accuratius hac sibi visus est argumentatione confirmare: *Ante omnia ergo,* inquit,[2]) *quin tempore Ciceronis alia adhuc fuerint topica Aristotelis, quam quae nos nunc habemus, dubium videri nequit. Etenim Aristoteles ipse anal. pr. I, 1 et rhet. I, 2 locos tales ex topicorum suorum libris allegat, qui in iis, quae nunc habemus, nusquam reperiuntur.* Sed ne hanc quidem stare posse sententiam, facile nobis erit, re paullo diligentius perpensa, demonstrare. Testimoniorum enim in libris Stagiritae varia sunt genera, siquidem in aliis ipsa auctoris verba, in aliis sententia tantummodo in universum expressa,[3]) in aliis, si

1) De Orat. II, 36.
2) Spec. iurid. p. 12.
3) Cf. Rhet. II, 1. et top. I, 2. — Rhet. II, 23. et top. II, 4. — Rhet. I, 2. et top. I, 12.

qua forte nominatur disciplina, non certi cuiusdam libri, quo illa tractatur, adest notatio, sed disciplina haec ipsa, per se tanquam una ac certa pars litterarum significata, proponitur, velut: ἐν ῥητορικοῖς i. e. in arte sive disciplina oratoria, ubi non utique et necessario liber de illa arte scriptus intelligitur. Eiusmodi etiam illa sunt: Ut apparet e topicis, ut fit in topicis,[1]) secundum artis topicae regulas, cet. Atque hac sola ratione complures ab Aristotele allatos locos interpretandos esse, ego cum aliis pro certo habeo. Quodsi hoc tenemus, quae reperire in topicis Lyndenio non contigit, nobis quidem non adeo videntur recondita. Habet enim Aristoteles in anal. pr. I, 1 haec: ἀποδεικτικὴ δέ (πρότασις), ἐὰν ἀληθὴς ᾖ καὶ διὰ τῶν ἐξ ἀρχῆς ὑποθέσεων εἰλημμένη, διαλεκτικὴ δὲ πυνθανομένῳ μὲν ἐρώτησις ἀντιφάσεως, συλλογιζομένῳ δὲ λῆψις τοῦ φαινομένου καὶ ἐνδόξου, καθάπερ ἐν τοῖς τοπικοῖς εἴρηται. Quid? Nonne idem erui facillime potest e Stagiritae verbis his, quae leguntur top. I, 1.: ἀπόδειξις μὲν οὖν ἐστίν, ὅταν ἐξ ἀληθῶν καὶ πρώτων ὁ συλλογισμὸς ᾖ, ἢ ἐκ τοιούτων ἃ διά τινων πρώτων καὶ ἀληθῶν τῆς περὶ αὐτὰ γνώσεως τὴν ἀρχὴν εἴληφεν· διαλεκτικὸς δὲ συλλογισμὸς ὁ ἐξ ἐνδόξων συλλογιζόμενος — deinde top. I, 4.: οὕτω μὲν γὰρ ῥηθέντος, ἆρά γε τὸ ζῶον πεζὸν δίπουν ὁρισμός ἐστιν ἀνθρώπου; — πρότασις γίνεται: tum top. I, 10.: ἔστι δὲ πρότασις διαλεκτικὴ ἐρώτησις ἔνδοξος ἢ πᾶσιν ἢ τοῖς πλείστοις κ. τ. λ.: denique top. VIII, 2.: διαλεκτικὴ γάρ ἐστι πρότασις, πρὸς ἣν οὕτως ἐπὶ πολλῶν ἐχόντων μὴ ἔστιν ἔνστασις (i. e. συλλογιζομένῳ δέ ἐστι λῆψις τοῦ φαινομένου καὶ ἐνδόξου): et paulo infra: ἔστι γὰρ πρότασις διαλεκτικὴ πρὸς ἣν ἔστιν ἀποκρίνασθαι ναὶ ἢ οὔ (i. e. πυνθανομένῳ μὲν ἐρώτησις ἀντιφάσεως). Quae omnino in illam quadrant sententiam, de qua cogitabat Aristoteles, quum topica in analyticis laudaret. Alterum vero, quod est in Rhet. I, 2, testimonium, in topica accuratius etiam cadit,

---

1) Cf. Rhet. II, 22, 10.: *Valet autem hic*, ait Victorius, ὥσπερ ἐν τοῖς τοπικοῖς, *ut in disciplina illa fit, qua loci sedesque argumentorum monstrantur.*

quam quae intercedat ratio inter παράδειγμα et ἐνθύμημα, ex top. I, 12 statim ac plane perspiciatur. Qui enim probe tenuerit, ut omnino artem dialecticam oratoriae, ita dialecticum syllogismum et inductionem respondere quasi ex altera parte ῥητορικῷ ἐνθυμήματι et παραδείγματι[1]), quid inter enthymema et exemplum intersit, ex iis, quae de syllogismo et de inductione illo topicorum loco sunt dicta, colligere poterit. Itaque et Spengelius[2]) errat, quum neget solvi illam difficultatem posse, nisi, quae ipsi Aristoteles se exposuisse affirmet, in nostris exemplaribus intercidisse credamus.

Fuisse autem, pergens inquit Lyndenius, *τόπους varii generis pro varietate doctrinarum, quum sponte intelligitur, quippe cadunt in dialecticam et in rhetoricam, et ut hoc utar in alias etiam disciplinas: tum vero duplex fuisse genus ab Aristotele tractatum τόπων, dialecticorum et rhetoricorum, res ipsa ostendit, siquidem Aristotelica, quae adhuc exstant, τοπικά sunt mere dialectica, quae autem Ciceronis ad nos venerunt, magis sunt rhetorica.* Quae ratiocinatio sane admodum ad probandum id, quod voluit Lyndenius, infirma est. Nimirum ad hunc usque diem non solum dialectica exstant, sed rhetorica etiam Aristotelis topica; primum enim in Rhet. II, 23 et 24 Aristoteles quadraginta fere τόπους proposuit, ex quibus cuiuslibet argumenti viam orator inveniat; deinde vero iam Cicero eiusmodi τόπους rhetoricos ipsis Aristotelis topicorum dialecticorum libris quodammodo comprehendi probe intellexit: dicit enim ille de Orat. II, 36.: *Sed Aristoteles posuit quosdam locos, ex quibus omnis argumenti via non modo ad philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc orationem, qua in causis utimur, inveniretur.* Ita-

1) Cf. Rhet. I, 2.: τῶν δὲ διὰ τοῦ δεικνύναι ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι καθάπερ καὶ ἐν τοῖς διαλεκτικοῖς τὸ μὲν ἐπαγωγή ἐστι τὸ δὲ συλλογισμὸς τὸ δὲ φαινόμενος συλλογισμός, καὶ ἐνταῦθα ὁμοίως ἔχει· ἔστι γὰρ τὸ μὲν παράδειγμα ἐπαγωγή, τὸ δ' ἐνθύμημα συλλογισμός, τὸ δὲ φαινόμενον ἐνθύμημα φαινόμενος συλλογισμός (sic enim recte supplevit lacunam Spengelius).

2) Cf. Comment. in Arist. libb. de arte Rhet. Monachii 1839. p. 29.

que eiusmodi τόπων tractationem Lyndenius, qui desiderare potuerit, non video. Huc accedit, quod praeter ea, quae hodie circumferuntur, Aristotelis topica alteram quandam disciplinae eiusdem ab eodem profectam institutionem nemo veterum scriptorum vel interpretum memorat; scilicet quod nunquam illa topica exstiterunt. Cuius rei testimonium esse videntur ea, quae Alexander Aphrodisiensis profert sic: Περὶ δὲ τῆς, inquit,[1]) οὕτω λεγομένης διαλεκτικῆς Ἀριστοτέλης μὲν καὶ ἐν ἄλλοις βιβλίοις πεπραγμάτευται, μάλιστα δὲ ἐν τούτοις, ἃ ἐπιγράφεται τοπικά idque quodammodo explanans; διαλεκτικῶς δέ, ait,[2]) πρὸς δόξαν ὡς ἔν τε ταύτῃ τῇ πραγματείᾳ καὶ ἐν τοῖς ῥητορικοῖς καὶ ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς·[3]) καὶ γὰρ ἐν ἐκείνοις πλεῖστα καὶ περὶ τῶν ἠθικῶν καὶ περὶ τῶν φυσικῶν ἐνδόξως λέγεται. Itaque τοπική vel ars dialectica maxime ac paene unice continetur libris topicorum octo, quibuscum arcte cohaerent elenchi sophistici; neque unquam copiosiorem aliam dialecticorum tractationem Aristoteles instituit. Quod autem ad libros, de quibus loquitur Aphrodisiensis, esotericos attinet, his nullo modo Stagirites artis dialecticae exposuit rationem, sed potius διαλεκτικῶς sive ἐνδόξως materiam propositam tractavit. — Postremo, ut argumentationi huic finem imponamus, quod in Buhlium dictum est supra, ne consilium quidem Ciceronis fuisse certum quendam sequendi Aristotelis librum topicum, idem hoc loco in Lyndenium valet, qui falsam illam opinionem totius suae sententiae habeat fundamentum.[4])

Quare quoniam neque de iis topicis, quae nobis servata sunt, neque de alio ullo Aristotelis topico libro cogitari potest, restat, ut ipsi nodum illum expediamus. Desiderabat

1) Vide Schol. coll. Brand. p. 252. a. 7.
2) Id. ib. p. 261. a. 24.
3) Quae simul nos docent, Aphrodisiensem τοπικά Aristotelis numerasse inter esotericos, quos dicunt, libros.
4) Eandem Lyndenii sententiam nuperrime iteravit von Baumhauer in disquis. critica de Aristotelia vi in Cic. scriptis. Traiecti ad Rhenum 1841. p. 61 sqq.

igitur iuris consultus scientiam disciplinae topicae, quam ab Aristotele tractatam invenerat, nescius antea, hanc rem arte comprehensam fuisse, ita ut disci ex libris posset. Iam postquam comperit, non mediocriter sibi expetebat eam scientiam, quae argumentorum copiam in respondendo suppeditaret. Sed Aristotelem ipsum ne intelligebat quidem, quantum satis erat, rhetorque ille magnus, quem consuluerat, se ignorare haec Aristotelica responderat. Itaque Cicero intercedens, amici desiderio satisfecit libello de arte topica. In quo libro conscribendo bene ac recte id intellexit Tullius, Trebatii, utpote qui de solo usu et utilitate, ex eiusmedi arte in suum negotium redundante, cogitaret, minime posse interesse, ut ipsa Aristotelis cognosceret topica. Quamobrem, quae difficiliora, quaeque a iuris consultorum disciplina longius erant remota, consulto omisit Cicero et ubicunque, quae ultra ipsum Trebatii finem posita erant, memoravit, quodammodo excusare sese solet.[1]) Itaque verborum *Institui topica Aristotelica conscribere* nulla potest esse vis alia, nisi haec, ut Aristotelicis, quod vocabulum nimis interpretes urserunt, Aristoteles designetur tanquam is, qui et conditor fuerit huius disciplinae et Ciceroni opportunitatem externamque, quam vocant, ansam praebuerit, topica Trebatio suo i. e., ut Gallice more loquar, quasi in usum Delphini conscribendi. Nequaquam tamen Cicero, ut ad unum paene omnes interpretes ad hunc usque diem tacite quodammodo statuerunt, vel per verba illa, vel in topicorum prooemio indicavit, sua topica esse compendium commentariumve Aristotelicorum librorum.

Quae quum ita sint, reliquum est, ut unde tandem Ciceronis topica originem traxerint suam, investigemus. Quo sic parare viam nobis visum est, ut statim ab initio fontium, ex

2) Cf. top. 5, 25. 42, 51. 19, 72. 26, 100.

quibus Cicero sua hauserit topica, adumbratio universa ob oculos ponatur: atque id quidem effici potest Kuehneri verbis, quae in nostram transferre libet orationem. Hic enim: *In aliis*, inquit,[1]) *philosophicis scriptis* (Cicero) *hanc secutus est rationem, ut unum potissimum, quem sequeretur auctorem, ob oculos haberet et ad eum suum imitandi studium componeret, nec tamen eum converteret, sed ex eius sententiis atque decretis tantum delibaret, quantum ad rem ac consilium suum maxime facere videbatur.*[2]) *Neque ceteros, qui idem argumentum pertractaverunt, prorsus neglexit, sed quae in singulis rebus ab iis elegantissime erant aptissimeque disputata, elegit; — sed probe tenendum est, Ciceronem iis, quibus graecos auctores secutus est, suum ipsum adiunxisse iudicium.*[3])

Hanc autem rationem quin Cicero re vera sit ingressus in conscribendis topicis, dubium esse nequit. In his ipsis enim, ut rem paucis complectar, primum Aristotelis secutus est libros rhetoricos, tum nonnulla ex mediae Academiae et Stoicorum praeceptis, si qua convenere, in suam rem transtulit, denique, quod hic summi est momenti, in suum usum, quaecunque ab aliis acceperat, adhibitis, aliam quodammodo ipse topicam artem suo ipsius ingenio constituit: quae quantum distet ab Aristotelica, supra ostendere studuimus; qua vero ratione quibusque ex causis inde ab Aristotele usque ad Ciceronis aetatem paulatim suam ea ars mutaverit faciem, vim, indolem, disciplinae huius docebit historia.

Sed quae modo de topicorum Ciceronianorum fontibus summatim proposuimus, breviter iam sunt persequenda. Cicero igitur in componendo libello topico inprimis ob oculos habuit Aristotelis artem rhetoricam. Primum enim Tullii to-

1) Vide M. T. Cic. in philos. eiusque partes merita, Hamburgi 1825. p. 90.
2) Hoc vocare solet Cicero *sequi*.
3) Cf. Cic. Off. I, 2. II, 17. III, 2. Fin. I, 2. I, 3. Epist. ad Att. XII, 11. Plin. h. nat. I praef. Van Lynden de Panaetio Rhodio p. 101.

pica, ut constat, magis sunt rhetorica, quam dialectica: deinde summa, quam Cicero instituit, locorum partitio ex Aristotelis illis libris tota est hausta:[1]) tum omnes fere singulos locos, a Cicerone tractatos, iam Aristoteles in rhet. II, 23 et 24 in universum descripserat, licet alio sit usus ordine: denique, Aristotelis rhetoricae arti Ciceronem studiosissime navasse operam, constat documentis luculentissimis. Nam: *Quodsi,* inquit ipse,[2]) *omnia a philosophis essent petenda, peripateticorum institutis commodius fingeretur oratio.* Tum de Orat. II, 38, 160: *Critolaum istum,* ait Antonius, *quem cum Diogene venisse commemoras, puto plus huic nostro studio prodesse potuisse. Erat enim ab isto Aristotele, a cuius inventis tibi ego videor non longe aberrare. Atque inter hunc Aristotelem (cuius et illum legi librum, in quo exposuit dicendi artes omnium superiorum, et illos, in quibus ipse sua quaedam de eadem arte dixit) et hos germanos huius artis magistros hoc mihi visum est interesse, quod ille eadem acie mentis, qua rerum omnium vim naturamque viderat, haec quoque adspexit, quae ad dicendi artem, quam ille despiciebat, pertinebant.* Deinde autem: *Atque etiam,* inquit Tullius,[3]) *ante hunc* (Zenonem) *Aristoteles principio artis rhetoricae dicit, illam artem quasi ex altera parte respondere dialecticae*[4]) (*ἡ ῥητορική ἐστιν ἀντίστροφος τῇ διαλεκτικῇ.*) Cuius generis testimonia, quibus illud, quod significavimus, Ciceronis studium illustratur, varia in Ciceronis de Oratore libris inveniuntur.[5])

Secundo autem Cicero a Stoicis, licet ipse eorum *διαλεκτικὴν in excogitandis argumentis mutam nimium* esse dicat,

---

1) Cf. supra p. 33.
2) Brut. c. 31.
3) Orat. 32, 111.
4) Cf. Academ. I, 8, 32.
5) Ut *Cicer.* de Orat. I, 31, 141. cf. *Arist.* Rhet. I, 3. — II, 10, 43. Rh. I, 3, 1. — II, 51, 208. Rh. III, 9, 3. — II, 52, 211. Rh. III, 8, 13. — II, 76, 309. Rh. III, 17, 15. — II, 80, 323. Rh. III, 14, 6. — II, 81, Rh. III, 16, 3 et 17, 3. — II, 82, 334. Rh. I, 6, 1 et 8, 1. — II, 85, 346. Rh. II, 4, 5. — II, 18, 50. Rh. III, 2, 1. — II, 39 et 40. Rh. II, 28. — I, 27, 116. Rh. I, 2, 2. Cf. Ep. ad. fam. I, 9, 23.

nonnulla tamen, quasi supra[1]) a nobis sunt notata, etiam in eam transtulit; sed attendendum tamen est, Stoicam illam vix quidquam valere in proprium dialecticae artis institutum potuisse. Neque a vero nobis videbimur aberrare, si contenderimus, in Ciceronianam artem topicam etiam mediae Academiae praecepta vim aliquam exercuisse. Audiamus enim primum, quid de Academicorum studiis ipse proferat Cicero de Orat. II, 38: *Videsne, inquit, Diogenem fuisse, qui diceret artem se tradere bene disserendi et vera et falsa diiudicandi, quam verbo graeco appellaret διαλεκτικήν. In hac arte, si modo est ars, nullum est praeceptum, quomodo verum inveniatur; — Critolaum istum — puto plus huic nostro studio prodesse potuisse. Erat enim ab isto Aristotele: — Carneadi vero vis incredibilis illa dicendi et varietas perquam esset optanda nobis; qui nullam unquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probarit, nullam oppugnavit, quam non everterit.*[2]) Ex his ipsis recte conficitur, Ciceronem Academicorum disciplinae, qualis post Arcesilaum a Carneade et Philone tradebatur, totum se penitusque dedisse, illisque propterea multum quum in universis studiis oratoriis, tum in argumentorum disciplina constituenda debuisse. Id vero plane nobis persuademus, quum ad illa respicimus, quae extremo Partt. oratt. libello Cicero tradit sic: *Expositae sunt tibi omnes oratoriae partitiones, quae quidem e media illa nostra Academia fluxerunt: neque sine ea aut inveniri aut intelligi aut tractari possunt. Nam et partiri ipsum et definire et ambigui partitiones dividere et argumentorum locos nosse et argumentationem ipsam concludere et videre, quae sumenda in argumentando sint — illius exercitationis et subtiliter disputandi et copiose dicendi est.* Unde quum, quanta vis Academicorum in Ciceronis rhetorica studia fuerit, maxime [illegible]

1) P. 44—47.
2) Cf. N. D. I, 3, 6. Orat. 3, 12.

appareat, nec dubium esse possit, quin in partitionibus oratoriis et in libro de oratore pars illa, qua oratoria ars inveniendi exponitur, cum ipso topicorum libello ita congruat, ut ex illis duabus hic possit quodammodo contaminari vel, ut minus obsolete loquar, conflari: neminem facile praeterierit, eandem illam vim, quam in rhetorica, in topica Ciceronis exercuisse Academicos.

At hos omnes fontes quamvis diligenter pervestigaverit Cicero penitusque exhausisset, nihil tamen fere inde praeter ipsam materiam sumpsisse videtur, cui tractandae suum ipse ita interposuerit iudicium, ut propriam quandam formam Tulliana ars topica induerit. Quid autem sit illud, quod Ciceronis potissimum ingenio haec ars debeat et quo fortasse praestet prioribus, si ab Aristotelica discesseris, huius rei tractationibus Ciceroniana: id, si vivam, in posterum indagare et una historiam artis topicae conscribere cogito. Ceterum iudicii in componendo hoc libro praecipuas certe fuisse partes, tum ex eo, quod Ciceronis libri de Oratore et partitiones oratoriae eandem continent artis topicae rationem, quae ipso topicorum libello accuratius est exposita; tum vel e scriptoris condicione apparet, quae qualis fuerit, non potest facilius perspici, quam ex itinere, in quo, quod Trebatio promiserat, praestitit. Antonio enim Consule, Cicero, desperata prorsus libertate, urbem reliquit, quumque ius legationis liberum haberet, in Graeciam iter constituit, ea quidem mente, ut rursus afforet Romae Kal. Ian., quo die Hirtius et Pansa consulatum inituri essent.[1]) Cuius itineris partem eam, per quam topica sunt confecta, breviter ex Ciceronis epistolis illustrari refert.

Ad Att. XV, 26. *Ego*, scribit Cicero, *itinera sic composueram, ut Non. Quint. (7. Iulii) Puteolis essem. Valde enim festino, ita tamen, ut, quantum homo possit, quam cautissime navigem. Ex Apinate. VI. Non. Quint.* (2. Iulii). Ad eundem XVI, 1: *Non. Quint.* (7. Iulii) *veni in Puteola-*

1) Cf. Cic. Philipp. I, 1 sqq.

num. Postridie iens ad Brutum in Nesidem haec scripsi (8. Iulii). XVI, 2: *Cassius cum classicula sua venerat. Ego quum eum vidissem, V. Idus* (11. Iulii) *in Pompeianum cogitabam, inde Aeculanum. Nosti reliqua.* Deinde Cicero Pompeianum pervenit (cf. XVI, 3: *haec ego conscendens e Pompeiano tribus actuariolis decemscalmis*), unde proficiscitur XVII. Kal. Sext. (16. Iulii), quod e XVI, 6 perspicitur. Navigat deinde Veliam, ubi unum constitit diem (XIII. Kal. Sext. 20. Iulii. Cf. ad fam. VII, 20 et ad Att. XVI, 6). De continuato itinere refert ad Att. XVI, 6, quam epistolam scribit Vibone: *ego adhuc; perveni enim Vibonem ad Siccam* (IX. Kal. Sext. 24. Iulii), *quum unum diem Veliae constitissem; obduxi apud Siccam posterum diem. Sed putabam, quum Rhegium venissem, fore, ut illic δολιχὸν πλόον ὁρμαίνοντες cogitaremus, corbitane Patras, an actuariolis ad Leucopetram Tarentinorum, ast inde Corcyram: et si oneraria, statimne freto, an Syracusis. Hac super re scribam ad te Rhegio.* Huiusmodi tamen litteras haud inveni: aut, puto, omnino nunquam scriptae sunt, aut saltem intercidere.

Iam vero si cum his omnibus coniungimus topicorum prooemium et epistolam ad Trebatium (Fam. VII, 19) V. Kal. Sext. (28. Iulii) Rhegio datam, quacum simul profecta sunt topica, consequitur, Ciceronem topica perscripsisse intra septem vel octo dies (inde a XII. Kal. Sext. usque ad V. Kal. Sext.), idque in navigatione, libris, ut ipse fatetur, destitutum.

VITA.

Urbaci, qui vicus est Rhenanus prope Coloniam Agrippinensem, natus anno MDCCCXVII patre Thoma, matre Margaretha Faust, quorum utriusque mortem iampridem lugeo, primis litterarum rudimentis quum a Trierbach avunculo et a Lempertzio sacerdote, viris optimis, essem imbutus, Gymnasium adii Agrippinense, quod F. C. A. Grashofio moderatore tum florebat. Ibi per septem annos egregiis usus praeceptoribus, quos gratissimo semper animo colam, ac maturitatis nactus testimonium anno MDCCCXXXX, alma Fridericia Guilelmia Rhenana petita, Scholzio Decano Spectatissimo theologorum catholicorum ordini accessi. Et quod multis de causis factum est, primam Bonnae stationem habui in Convictorio, quod tunc regebatur ab Achterfeldtio; quam tamen stationem mox valere iussi. Ac simul contigit, ut quum Ritschelio Welckero Heimsoethio ducibus arctiorem cum antiquis litteris contraxissem familiaritatem, theologicis studiis me abdicarem totumque philologiae addicerem. Scholas dein adii philologicas Welckeri Ritschelii Schopeni Heimsoethii: historicas Loebellii et Dahlmanni; philosophicas Brandisii et Volkmuthii. Praeterea socius fui ordinarius Seminarii Regii philologici, Welckero et Ritschelio moderantibus, praeceptoribus optimis, quorum eximiae humanitatis et benevolentiae erga me iucundissimam memoriam nulla unquam oblivio delebit.

Iam vero litterarum cursu absoluto hanc Musarum sedem relicturus praeceptoribus quotquot sunt pro summis in me meritis gratiam habeo semperque habebo quam potero maximam. Nec minus grato animo illos prosequar viros, inprimis Franciscum Heuserum, Coloniensem negotiatorem, virum integerrimum, quorum munificentia ac liberalitate dicere vix possum quantopere studia haec mea sint sublevata atque adiuta.

CONTROVERSIAE.

1. Cicero ubi *Aristotelium morem se esse secutum* dicit, potissimum τὸ διαπορῆσαι καλῶς spectavit.
2. Quae appellatur petitio *principii*, eam melius vocaveris petitionem *quaesiti*.
3. Cum Ennio

   Benefacta male locata malefacta arbitror.
4. Historiam litterarum a rebus gestis non licet separare.
5. Incognita fuerunt Ciceroni Aristotelis analytica.
6. Ad Cremeram non colonia, ut contendit Niebuhrius, deducta est, sed sex illi et trecenti Fabii cum clientibus servisque ad patriam defendendam egressi sunt.
7. Tollit iambica, qui ea, ut Hermannus, trochaeis metitur.
8. In interpretandis scriptoribus graecis et latinis ea ratio, qua verbum de verbo deinceps reddere tirones iubentur, inprimis probanda est.
9. Aeschyl. Eumenid. vv. 254—263 sic restituo:

στρ.β'. *Ἀλλ' ἀντιδοῦναι δεῖ σ' ἀπὸ ζῶντος ῥοφεῖν*
Ἐρυθρὸν ἐκ μελέων πέλανον· ἀπὸ δὲ σοῦ
Βοσκὰν φεροίμαν πώματος δυςπότου.
Καὶ ζῶντα σ' ἰσχνάνασ' ἀπάξομαι κάτω,
Κάτω γ' ὡς ἂν ἀντιποίνους τίνῃς μητροφόνας δύας.

ἀντ.β'. *Ὄψει δὲ κεἴ τις ἄλλος ἤλιτεν βροτῶν*
Ἢ θεὸν ἢ ξένον ἢ τοκέας φίλους,
Ἔχονθ' ἕκαστον τῆς δίκης ἄξια.
Μέγας γὰρ Ἅιδης ἐστὶν εὔθυνος βροτῶν,
Ἔνερθε χθονός, δελτογράφῳ δὲ πάντ' ἐπωπᾷ φρενί.

10. Cicero top. 23, 28 scripsit: *Loci autem convenient in eius generis quaestionem consequentis, antecedentis, repugnantis: adiuti etiam iis, qui sumuntur ex causis et effectis.*

11. Caruit rotis aratrum Romanum, nec tamen idcirco apud Virgil. in Georg. I, 175 *cursus* pro *curribus* sunt ponendi.

12. Graecorum carminum modi perinde atque hodierni aequabili temporum mensura utebantur.

13. Poeta est et qui versus et qui modos componit, i. e. ut poeta modos sententiis, ita modis carmina componit modulator.

14. Franciscus Schubertus in melicis vel lyricis carminibus summus modos componendi inter Germanos artifex.

15. Mozartus in imitando vel effingendo tanquam lyricus est poeta, epicus contra Haydnius.

16. Ex Beethovenianis, quae celebrari non desinent, symphoniis et indolem et vitam summi illius poetae cognoscere licet.